



WFF

Pro uisu leig  
S. Camonum.

P.



BIBLIOTeca  
ESTRA  
BIBLIU

# SYNTAGMA JURIS HUNGARICI COMPLECTENS ETIAM PECULIARES TRANSYLVANIAE *Governat.* LEGES. *Cibinica* *sin.*

In Alma Udvarhelin. S. J. Residentia  
POSITIONES PROOEMIALES LOGICÆ  
publicè propugnandas suscepit

Specabilis, ac Eruditus  
D. JOANNES GEORGIUS NAGY  
De Csatár Logicæ Studiosus,

P R A E S I D E  
R.P. EMERICO PALLOVICS è S. J.  
A A. LL. & Philosophiae Doctore, nec  
non Logicæ in Regio-Principali  
ACADEMIA CLAUDIOPOLITANA

Professore Ordinario;  
AUDITORIBUS OBLATUM  
Ad perennem hujus Philosophicæ Solen-  
nitatis Udvarhelyini habitæ memoriam.

Anno Salutis M. D. CC, XLIII.  
Mense Aprili Die

CLAUDIOPOLI Typis Academicis Societatis JESU.

1497

SUB AUSPICIIS  
EXCELLENTISSIMI

ILLUSTRISSIMI  
DOMINI DOMINI COMITIS  
**LADISLAI**  
**GYULAFFI.**

De Rátott

Sacræ Hungariæ, &  
Bohemiæ Majestatis Ca-  
merarii, Intimi Statûs  
Consiliarii,

Inclytæ Sedis Siculi-  
calis Udvarhelyiensis Su-  
premi Judicis Regii, & Excelsæ  
Cancellariæ Transylvanicæ-Aulicæ  
Cancellarii dignissimi &c. &c.

DOMINI, AC PATRONI  
GRATIOSISSIMI



EXCELLENTISSIME,  
ILLUSTRISSIME  
DOMINE DOMINE COMES  
CANCELLARIE  
AULICE  
PATRONE GRATIOSISSIME!



**M**anifestius nunquam divi-  
na se exerit sapientia ,  
quam dum è spinis rosas ,  
uberes è sentibus segetes ,  
ex iis , quæ ad plectenda hominum  
crimina vindex & aqua Numinis  
§ ira

tra orbi immittit, malis Bona, vél-  
ut olim salutis duris è rupibus a-  
quas elicit, sanat, dum vulnerat,  
dum odit, amat, sui ut usque pa-  
teat Clementia Numinis, quòd ira-  
sci hominibus nequeat, nisi nova  
amoris sui proferat argumenta, ipsa-  
que illa, quæ infligit pénarum ma-  
la, in usum eorum convertat, &  
commoda.

Novum quoddam nec obscurum  
apertiùs se se orbi comprobantis Di-  
vinæ sapientiæ argumentum in se ex-  
hibet, nec ingrata recolit Logica  
nostra. Quid enim? vix accensi  
iras persensit Numinis, sedéque sua,  
malo ingravescente, depulsa, in  
interiores Daciae plagas, hancque  
Fidei Tuæ creditam Provinciam, ut  
asylum Sapientiæ tutissimum sese re-  
condidit; & en! nova experta est,  
dum justus etiam ultior punit, Dei  
amantis documenta. Lætiores è sen-  
ticetis messes, è spinis rosas vel per-  
egrè colligit, lucemque, à qua vi-  
debatur remotior, accipit clariorem.  
Effectum scilicet, raro Superum fa-

vore est; ut plus felicitatis & gloriæ alieno in solo peregrina acciperet, quam doméstico meruisset. Quem enim in suis relictis Sedibus vel eminè Solem respicere verebatur, huic se profugam adesse cominus, in hunc intueri fidentius, ab hoc illustrari gloriosius, ejus undique sese radiis circumfundit, uberrimè exultans gaudiò demiratur.

Enigma loquerer, si enigma foret: Solem Te esse Excellentissime Domine Domine Cancellarie Aulice. Quotquot suo in gremio incolas complectitur Dacia, quantam à Te lucem mutuentur, non inviti, gratiæque confitentur. Et qui Te noverrunt penitus, cum Te, Dotes Tuas, virtutes, merita longè maxima esse perspiciant: novos Tibi honores, novos Sacrae Regiae Majestatis favores gratulantur calidius, maiores addicunt, ominus türque indies ampliores.

Sed necesse, ut opinor, erat, ut ad honorum, qui Tuis dudum debebantur meritis, apices, per gran-

dus veluti, morāsque concenderes,  
quò ex ea, quam privatus adhuc dif-  
fuderas, luce intelligerent singuli,  
quantum in summo constitutus verti-  
ce splendoris allaturus essem universis.

Solem Te suum, dum teneram  
adhuc etatem ageres, colebat Clau-  
diopolitana Sapientiae, & Bonarum  
Artium sedes. Etsi enim Tibi Avi-  
ti sanguinis, quo sanctum Ungaro-  
rum Regem Stephanum contingis,  
claritas, & gloriofissima Majorum  
Sagò, Togaque amplitudo radios,  
quibus etiam tum Solis instar efful-  
geres, inderet, eatamen satis haud  
erat, nisi & à sociatis in unum per-  
pete fædere Bonarum Artium studiis,  
& virtute omnigena splendoris ac-  
cessionem faceres, quâ & Majores  
(de quibus alias) ad unguem refer-  
res, & ad Sanctum illum primum Un-  
gariæ Regem eò accederes proprius,  
quò Te ab hoc Nativitas Tua, etás-  
que longius sejunxerat.

Virtutes Tuas probatique studia  
abunde venturis etiam seculis com-  
mendavit Magnus ille Cæsar Caro-  
lus

Ius VI. cùm propugnatâ gloriōsè so-  
lo Marte Tuo Fl̄i osophiâ univer-  
sâ, Te primum ex omni Dacia, exi-  
miè laudatum torque aureo, debito  
virtuti Tuæ, ac singulari eruditio-  
ni munere, jussit insigniri. Hæc Lu-  
cis Tuæ primordia omina erant,  
quæ plenum Te olim Solem futurum  
indicarent, & Luminis Tui radios pre-  
sagirent, quibus olim orbem Dacicum  
omnem gloriōsissimè illustrares.

Severioribus absolutis disciplinis  
supremum Te subinde in Provincia  
Siciliæ præcipua Judicem Regium  
creatam stupebant, quibus non in-  
notueras; qui noverant, probabant,  
omnes demum gratulabantur Solem  
Te suum venerati.

Tum enim verò virtutum Tuarum  
radii, velut altiore è polo sic intuen-  
tium perstrinxere oculos, ut animos  
una raperent in admirationem.  
Virtutes nimirum illæ omnes, qua-  
rum amorem cum sanguine traxe-  
ras, quas, propè dixerim, cum la-  
cte hauseras, tecumque enutrieras,  
quibus æqualibus antè præiveras, ful-

gore sese suo infimis æquè ac summis  
mirificè ingerebant. Effulsit in Te Di-  
vini promovendi honoris ardor, & a-  
vitæ Religionis studium, cui templa,  
aras, splendorem, aut adjiciebas no-  
va, aut temporum iniquitate vel  
lapsu amissa restituebas. Effulsit  
rara intelligendi vis, qua rerum, ac  
negotiorum arcana momenta scruta-  
baris industrie: penetrabas sublimi-  
us, feliciusque pertractabas. Eluce-  
bant boni publici zelus flagrantissi-  
mus, æquitatis in Judiciis amor,  
in consiliis integritas, inclinari in  
partes & moveri nescium animi ro-  
bur, ac constantia. Videbant Deum,  
Justitiam, & eam, quæ à recto non  
discedat, ratio, posse omnia; ceteris  
omnibus, si deficiant ista, roboris  
inesse nihil, nihil, quod Te flecte-  
ret, ponderis. Atque ut semel di-  
cam omnia, suspiciebant in Te vi-  
rum, quo majorem optarent nem-  
inem, cui omnes esse desiderarent &  
quales.

Atque hi fuere radii, hæc Lux  
Tua, quibus non Patriam modò  
omnem

Omnem copiosius illustrares, sed Vi-  
ennensem quoque Augustam Aulam  
perstringeres; Hinc cùm ei, qui Can-  
cellarii Transylvanicō-Aulicī munus  
felicissimè sustinuissest, atate fatiscenti  
alter sublegendus esset, ad eū honoris  
apicem plurimorum, Maximorumque  
suffragiò unus expetebāre, ut luce  
Tua in eum evecta verticem magis  
magisque irradiaremur universi.

Ad hanc itaque lucem, ad hunc  
locatum in fastigio Solem, ad quem  
accedere, cuius recreari luce verita  
fuissest Logica nostra, si alibi, quām  
in Tua hac versaretur Provincia;  
porrecta nunc fronte secura accedit,  
illustrarique fidenter expetit, Excel-  
lentissime Domine.

Etenim, in loco principe ejus, cui  
præs Provincia, Proæmiales Logicæ  
Theses disputaturas, ubi tenebris no-  
stris lucem, pugnæ novellæ Auspicem  
melius requirerem, ubi inventurum  
me confiderem certius, non erat,  
atque apud Te Excellentissime Do-  
mine.

Qui enim è fuga in Tuam se tutes  
lam

Iam recipienti scientia non assitas?  
qui asylan tem in subdita supremo  
tuo arbitrio Provincia Literarium  
pugilem gratiosissimis auspiciis Tuis  
non sustentes? qui, quos omnibus  
liberalissime impertiris Lucis Tuæ  
radios, aliquot non elargiaris? cui lo-  
cus semper charissimus, pugna nostræ  
amantissimæ, studia nostræ anti-  
quissima semper exstitere:

Adhæc liber ( quem ut cum primi-  
tiis Philosophiae meæ Honori Tuò Ex-  
cellentissime Domine Domine Can-  
cellarie inscribi benevolè patiaris,  
humillimis votis, precibusque effla-  
gito ) talis est, unde subditi su-  
premo Tribunal Tuò clientes eam,  
quam Te ab oculis suis, non cordi-  
bus erepto patiuntur jacturam, ra-  
tione quadam valeant resarcire;  
in quo ea mortuis notata charakte-  
ribus videant servandæ Æquitatis,  
& suorum cuique tribuendorum ju-  
rium momenta, quæ in Te præsen-  
te, ceu in vivo Justitiae ectypo ex-  
pressa antea legerant. Erit, ut Tuò  
Studio inserta altius omnium animis  
Æqui-

Æquitas, hoc libro velut fæcundi-  
us irrigata in plenum florem evi-  
rescat.

Accedit; quod novellus Palæstri-  
ta, qui sub Gratiissimis Auspiciis  
Tuis primus Provinciam hanc Philo-  
sophia initiat; ei sanguine junctus  
sit, qui primus pariter Svadam cum  
Apolline Civitate hic donatos, nuper  
admodum festivis Honori Tuo plau-  
sibus, egregie hoc in loco celebrave-  
rat: quam Tu, utut pulcherrimis et-  
iam ædium substructionibus, magis-  
tamen fulgentissimis sapientiae, vir-  
tutis, ac industriae Tuæ radiis illu-  
strasti. Quod utrumque quidem non  
sine peculiari æternæ illius providen-  
tiæ Numine factum existimem, quò  
sic genus Salbeckianum paterno  
juxta, maternoque sanguine propa-  
gatum, Tuo se Excellentissime Do-  
mine, Nomiini ac Honori devotissi-  
mum, ac Tibi quam arctissimè ob-  
strictum, in omnium oculis decla-  
raret.

Patere itaque, Excellentissime  
Domine Domine Cancellarie, ut  
haec Ho-

*b& Honori ac Nominis Tuo dicatae  
paginæ Excellentissimo gratiæ Tuæ  
lumine illustratæ lucem accipient u-  
beriorem; è suis proturbatam sedi-  
bus Tuaque in Provincia diversan-  
tem scientiam gratiasissimis Auspiciis  
Tuis excipe: studium hoc meum quod-  
cunque perpetuæ, qua me meosq; Tibi  
arctius devinctos cupio, observantia  
tesseram admitte; mèque clientum  
tuorum numero adscriptum, & tuis  
nunc auspiciis in arenam hanc de-  
scendere; & olim Solis Tui radiis u-  
berius illustrari, benignus indulge,  
qui cum Thesibus, Tibi me in per-  
petuum*

D. D. D.

**Excellentissimi ac Illustrissimi Domi-  
ni Domini Comitis Cancellarii Aulici**

**Clientum infimus**  
**Joannes Georgius Nagy de Csatár.**

# THESES PROOEMIALES

*NATURA ET OBJECTO  
LOGICÆ*

*Udvarhelyini propugnatæ.*

I.

**L**ogica artificialis est Facultas directiva operationum Intellectus Alia actualis, alia habitualis. Utraque Docens, & Utens. Utens tamen nec actualis, nec habitualis distinguitur realiter, quoad rectum à Docente actuali, vel habituali sibi correspondente.

II.

Dividitur Logica in Analyticam, Topicam, & Sophisticam, secundum quas partes est Virtus Intellectus; Ars minùs strictè talis: & Scientia proprie talis; simpliciter practica, secundum quid verò speculativa.

III.

### III.

Ad alias scientias in statu perfecto acquirendas simpliciter necessaria: ad actus tamen earumdem solum directivè concurrit.

### IV.

Objectum materiale proximum Logicæ non sunt res: nec Intellectus: nec Ens rationis Thomisticum. Sed

### V.

Primarium, & immediatum sunt operationes Intellectus in fieri consideratae: secundarium vero sunt voces articulatae humanæ.

### VI.

Objectum formale ejusdem est rectitudo passiva, seu conformitas actus cum præceptis. Attributionis vero: omnis, & sola demonstratio formaliter directa, prout reflexè demonstrata à Logica.



# SYNTAGMA JURIS UNGARICI.

## PARS PRIMA.

### TITULUS PRIMUS.

*De Actibus Potentiariis, eorumque Pœna.*

Num. I.

**P**Ræter quinque Casus P. 2. *Furris Tripartiti*, T. 42. declaratos, plerique ( saltem olim ) Actus Potentiarii; ut illationes damnorum, documentorum, & injuriarum, vocantur minores actus potentiarum. Pœna eorumdem floreni 100. ( in Transylvania floreni 50. P. 3. T. 3. ) quorum medietas una actori, altera Judici cedit: insuper damnorum, & expensarum refusio Actori adjudicanda. P. 2. T. 67.

2. Pœna autem illorum quinque casuum, seu

seu majorum actuum ; uti invasionis domorum, ac interemptionis, verberationis, vulnerationis, & sine justa causa, detentionis Nobilium : item occupationis quorumlibet juri um possessionariorum, & eorundem pertinenciarum, quo cunque nomine censemantur ; *Capitalis*, seu amissio capitis, & omnium bonorum mobilium, & immobilium ad portionem sententia cedentium ; jure tamen redemptibili. *P. 1. T. 16.* & *P. 2. T. 43.* confer haec cum paulo post dicendis.

3. In minori actu potentiaro **convictus** & poenam 100, flo. solvere, ac damna restituere, ob defectum bonorum, non valens; non obstante prærogativa Nobilitari, captivari, ac detineri potest. Qui apud Judicem 15. diebus, ut in facto debitorum, causa concordiae detineatur ; & si non concordat cum adversario, traditur ad manus ejusdem, detinendi, & non puniendi gratiam, quoad usque judicatui servitiis suis, vel aliter quomodo cunque non satisficerit. *P. 1. T. 68.*

4. Hostiliter turbantes communem inquisitionem, & oculatam revisionem, in facto majoris Potentiae **convincantur**. *Uladis. Decreto s. 1504. Articulo 5.* Exercituantes item, si Regnicolas deprædati fuerint, instar aliorum patratorum actuum Potentiriorum,

per Judices Regni ordinarios judicentur. U-  
ladis. D. I. 1492. A. 17.

5. Castellani, Officiales, Familiares, & Jo-  
bagyones Dominorum, si deliquerint; Do-  
mini ipsorum pœnam non incurant; sed  
super innocentia, quod scilicet non de eo-  
rum voluntate illud sit patratum, se purgare  
jutamento debebunt. Martb. D. 6. 1486. A.  
15. Item violentiæ contra privatas personas  
Patratæ, coram ordinariis Judicibus jure re-  
quirantur. 1546. A. 26.

6. Tyrannides, prædas, & spolia exercentes  
Rex intra, & extra Regnum puniendi ha-  
bet facultatem. Ibidem A. 27. De actibus  
Potentiariis per civitates, & oppida privile-  
giata, in causis criminalibus, etiam in Comi-  
tatu convinci possunt. 1647. A. 81.

7. Præter quinque casus, aliisque suprà  
allatos: sunt præterea non pauci, qui pœnâ  
actûs majoris potentiarum plectuntur; et si antea  
sub titulo *Notæ infidelitatis* continerentur; sunt  
autem sequentes: 1mò. Violentè detinere,  
arrestare, verberare, vulnerare Judicem Re-  
gni ordinariū, ejusque Vices-Gerentem,  
vel Magistrum Protonotarium, septemvira-  
lis, Regiæ Judiciariæ, Districtualis, aut Co-  
mitatensis Tabula Judicem. Item Capitularem,  
Conventualem, Regium, Palatinalem, aut

Banalem Hominem : Baronem Regni , aut supremum Comitem : nec non Cameræ Regiae Consiliarium , supremum , vel Vice - Directorem ; in officiorum suorum functione aequaliter , & legitime procedentes . 2dò . Literas salvi conductus , à Rege datas violare . 3tiò . Repulsionem secundariò facere . 4tò . Verberare , vulnerare , per se , vel per alium , extra Dietam , conquerentes in Diæta , propter hujusmodi querelas ; aut ad Diætam , judicia , vel congregations , & sedes judiciarias Comitatuum , prout & ad inquisitiones de repetendis , ac restituendis fugitivis colonis , & servitoribus , & Militia excessibus , pergentes , cásque peragentes ; & ad ineundos cum eadem Militia computus venientes , inque computu , & peragendis præmissis inquisitionibus commorantes , & redeuntes .

8- Quintò . Vulnerare Fratres , & Consanguineos . 6tò . mutilare membra , & eruere oculos alterius : extra scilicet Magistratualē officium . Hi itaque omnes , & singuli incurserunt peenam actus majoris Potentiaz : juxta A. 10. 1723. His adde eos , qui sensu A. 34. 1729. adversus judiciarias sententias secundariò se opponunt , vel bona judicialiter executa , reoccupant . Personæ tamen Religiosæ , & Ecclesiasticæ , nec non Mulieres in præmissis casis

sis casibus, pœnæ Emendæ Capitis solent  
subjacere. A. 10. 1723. in fin.

9. Qui verò ad Diætam convocatos, aus  
corum Familiares, vel in Diæta conqueren-  
tes, in loco diætali, aut publici conseßūs,  
contumeliis aut manuum injectione lœdunt;  
ad tertium diem citati, coram judiciaria ta-  
bula Regia judicium recipiunt; & calum-  
niatores quidem, ac Diffamatores, roties, quo-  
ties in pœna 200. flor. parti læse applican-  
da: Verberatores verò, vel Vulneratores,  
pœnâ actûs majoris Potentiæ castigantur.  
Præmissorum autem malitiosi sub Diæta oc-  
cisores, aut occidi procurantes, prævia ad ter-  
tium citatione, pœnâ Mortis, cum exaspera-  
tione, condemnantur. A. 7. 1723.

10. Erat autem olim pœna actûs majoris  
potentiæ; amissio Capitis, & simul Bonorum  
universorum. Ut patet ex legibus hic num.  
2dō. citt. Nunc verò jure novissimo A. 34.  
1729. circa medium: est amissio capitis, vel  
Bonorum disjunctivè: immobilium quidem;  
communi æstimatione mediante, redemptibi-  
liter. Mobilium verò simpliciter, sive irre-  
demptibiliter. De processu quinque casuum  
sue actûs majoris Potentiæ vide verbo: Ca-  
pitalis sententia. Potest quis ejusmodi ca-  
sus judicialiter prosequi, etiam penes Arti-  
culos

culos brevis processus, seu via querulosam causam Vice-Comite ejus Comitatūs, in quo aetius commissus est: non tamen criminaliter, id est: ad poenam capitalis sententiae; sed violentiae duntaxat, seu actus minoris Potentiae; puta sub pena 100. flor. adeoque si viliter, excepto casu homicidii.

11. Actus minoris Potentiae, hodie communiter violentiae vocantur. Actio super violentia seu actu minoris Potentiae suscitata, & Vice-Comiti illius Comitatūs, in quo violentiae patrator, adeoque Incattus residet, aut bona habet, exhiberi solita, vocatur *Querulosa*, processusque ipse *Querulosus*: qui describitur A. 4. 1608. It.

12. Deinceps autem, si & desuper occupationibus, & reoccupationibus, nec non aliis violentiis, captivationibus, verberationibus, & rerum Mobilium, aliorumque juriū, sub quovis praetextu occupatorum, factis, aut fiendis, causae aliquae per quoscunque movebuntur, illae etiam eodem brevi processu terminentur; non obstantibus annua- lis revolutionis prætensionibus. Nimirūm ut ad partis querulantis instantiam, Vice-Comites, præhabitā legitima certificatione ex se de Judiciaria, vel Congregatione Comitatūs, imò etiam de Domo habitationis suæ fienda

( Adde

( Adde ex A. 23. 1613. in certificatione eum modum esse servandum, ut personaliter, aut de habitatione, vel Bonis, cum assignatione parium, vel copiarum acquisitionis, medio Judice Nobilium certificetur. In remotoribus terminis, non quindena, sed terminus competens assignetur ) ad faciem Bonorum occupatorum, observatâ quindenâ, exire, ibique comperta rei veritate, judicium facere ac partem succumbentem in pœna violentiæ, refusionéque damnorum convincere possit, ac debeat. A cuius judicio pars convicta potest appellare ad sedem Judiciariam Comitatûs, vel ea non existente, ad congregationem Comitatûs primitûs celebrandam. Ubi si iterum succubuerit, judiciûmque prius latum approbatum fuerit, ex tunc Vice-Comes statim ad executionem procedat. Salvis manentibus parti succumbenti omnibus juridicis remediis, sed extra dominium duntaxat. *vid. verbo Appell.* Confirmantur hæc per A. 29. 1609. Et 23. 1613. ubi etiam causæ violentiarum ex parte Rusticorum servitorum, Colonorūmque ignobilium querumvis, modusque in iisdem procedendi subnotatur. De quibus vide verbo: *Sedes Dominalis.*

A 3. Judices violentiarum, juxta A. 35.  
A 729. cum desumenda pœna violentiæ, sunt

foli Vice-Comites. Pari processu etiam violentiæ officialium Cameræ Regiæ, sensu A. 149. 1647. & 39. 1681. discutiuntur: item reoccupationes Bonorum executorum, per A. 29. 1662. & 33. 1681. Excessus item Tricesimatorum, & Teloniatorum, exactiones violentas, & iniquas perpetrantium; juxta A. 48. & 51. 1659. & 20. 1681. ut & alii plures Casus, quos videre est A. 31. 1655. & pluribus 1659. AA. quos hic referre non est operæ pretium

14. Excipiuntur autem specialiter ab hoc processu queruloſo, casus sequentes; nempe: *successionum, Divisionum, Quartalitiorum, Dotum, Rerum Paraphernalium, Testamentiarum dispositionum, concambiorum, Furium Pignoratitiarum, debitorum*: nec possunt penes hos Articulos brevis processus Bonorum proprietates acquiri, ac judicari. Et si quis in his casibus processus queruloſo causam suam moveret, ipso factō, in poena indebitæ actionis, 100. flor. faciente, contra singulos Incattos Nobiles divisos, in actione denominatos, convinceretur. A. 29. 1609. Et 23. 1613. Atque hoc etiam ad liberas Civitates extenditur. juxta A. 16. 1635.

15. Neque à poena violentiæ excusabitur, si quis Ticium pugans, percutiat Cajum: quia præva-

prævalet id, quod est principale; nempe, quod injuriam facere voluerit, & re ipsa fecerit; licet erraverit in Persona. Exemplum hujus casus, ut notat *Tyro. Jur. Hung.* vertebatur in tabula Regia; sed amica compositione deliberatio præventa est. Virum scilicet Nobilem in Via Regia, Comes aliquis scuticâ cecidit, putans, ut affirmabat, eum non esse Nobilem. Imò nec tunc est excusationi locus, quando Te alter injustè aggreditur, & verberat, aut quoquomodo lædit; tametsi Tu eundem, cum moderamine inculpatæ tutelæ repercutias. Hæc enim repercuſſio, in flagranti facta, utpote jure naturæ licita, actionem tibi contra iniquum aggressorem non elidit. si tamen Domino non mandante, imò rei ignarō, Famuli ejus sylvas alienas, pariter ex ignorantia cæderent, aut præta falearent; à pœna effet immunis, & Dominus, & Famuli: non tamen à Damni refusione. Ceterum id factum fuisse ex ignorantia, Incattis probare incumberet. Argum. A. 15. 1486. n. 5. cit. Causæ porrò, ratione Actuum potentiariorum motæ, ac intra! spatium 32. Annorū non prosecutæ, præscribitur. p. 1. T. 78.

TITU-

## TITULUS II.

*De Adoptione.*

Num. I.

**A**doptio in Filium, & successo-  
rem, Hæredemque Bonorum  
suorum, à Persona Nobili,  
cum consensu Regio facta, Nobilitat adopta-  
tum, omnésque ab eo descendentes. P. I. T. 8.  
Eadem vim nobilitandi videtur habere ad-  
optio in Fratrem; teste *Comm. Syst.* & argu-  
mento P. I. T. 66. *Ibi*, interim autem pars  
superveniens, vigore juris successorii ex hu-  
jusmodi contractu, vel Fraternali adoptione  
sibi attributi, Dominium Bonorum partis de-  
ficientis, tanquam scilicet Fratris sui *condi-*  
*visionalis*, simpliciter pro se vendicandi ( mo-  
dò legitimum non obstat impedimentum )  
habet autoritatem.

2. Adoptatus, intra annualem revolutio-  
nem, à tempore defectus seminis ipsius Ad-  
optantis computando ( & non, ut in aliis,  
à tempore emanationis literarum consensuali-  
um ) statui in bonis Adoptantis debet. P. I.  
T. 63. Et 66. vide hic Kitt. D. 9. & 31.

3. Quantumvis alterum, cum consensu  
Regio, in Fratrem adoptaveris; si tamen  
postea Notam Infidelitatis incurristi: non ob-  
stante

stante gratiâ Regis, quam pro capite suo , & Bonis impetrâssi; tamen Bona tua in adoptatum non devolvuntur. P. I. T. 49. Nisi de novo post gratiam , confirmetur à Rege adoptio. Argum. T. 16. P. 1. Ibi: Filios tamē intellige jam natos , & non *nascituros*. Hi enim post Paternam condemnationem, si Pater gratiam Regiam, & Dominium bonorum suorum Paternorum consecutus fuerit, merito, ritēque in juribus Paternis succedent.

4. Adoptatus, obligata jure redemptibili Bona adoptantis, ante alios vicinos redimenti habet facultatem. P. I. T. 27. Adoptio autem locum non habet hæredibus, aut successoribus legitimis extantibus : verū illis deficientibus; adoptatus ipse Frater, vel Filius, successionis hujusmodi virtutem, & facultatem, in Bonorum ipsorum devolutione sortietur. P. I. T. 66.

5. Adoptatus sit successor legitimus adoptantis: unde adoptante mortuo, si jam prius *consensus Regius*, statutiōque requisita præcessit, immediatè, ac sine ulla nova statutione juridica, ac processu, bona pro se, Hæredibūsque suis apprehendit. P. I. T. 67.



TITU-

# TITULUS III.

## *De Admonitionibus.*

Num. 1.

**A**dmonitiones , ad tollendam ; seu levandam pecuniam in Bonis hærentem , & remittenda bona ipsa impignorata , seu dotes , & res paraphornales , juraque quartalitia , personaliter fieri possunt ; si admonendi , vel admonendæ præsentia haberi possit : alioquin fiunt de domo solitæ ejusdem residentiæ . *Evocatio* tamen post admonitionem non personaliter , sed de juribus possessionariis fieri debet . Quibus si careat , etiam de curia ejusdem nobilitari fieri possit . Nam si Jobagyones ha- buerit , & Personaliter , aut de domo habitationis suæ , & non de Bonis , ac juribus hæreditariis fuerit evocatus ( exceptis tamen impignoratiis , ubi etiam Personaliter , vel de Bonis impignoratiis admonitio , cum e- vocatione facta , valete videtur ; uti judica- tum est in *statu Posonii 1650.* ) evocans in homagio evocati convincetur , & aggra- biatur . P. 2. T. 24.

2. Admoniti autem , si pecuniam nos levaverint , Bonaque non remiserint , ac superinde provocati , in sesmino non compa- suerint ,

xuerint, ex tunc statim Bona ipsi Actori, si ne ulla solutione pecunaria, restituantur: & evocatus, vel evocata, jura sua, *extra dominium* ipsorum Bonorum, requirere, & prosequi teneatur. Insuper Fænerator ille, in summa impignorationis, contra partem adversam de facto convincetur. Si tamen admonitio, & evocatio per impignerantem, vel ejus filium, aut Fratrem, quos prædictorum Bonorum successio manifestè respicit, facta fuerit. Ad instantiam enim vicinorum, & commetaneorum, præmissa poena non sequitur. *Ibidem.*

3. Mulierum aliqua admonita, & evocata, ratione Dotis, aut rei paraphernalis, licet compareat; tamen si exquisitis, ac trivolis subterfugiis causam prorogari fecerit, ut interea fructus bonorum percipere possit, ipsaque tandem termino, responsonem suam bono modo probare non poterit: tunc ob ejusmodi fraudem, & dotem, & res Paraphernales amittit, & Bonæ ipso facto; Actorique, si ne quavis solutione Dotalitii, per Judicem restituentur. *P. 2. T. 24.* Vide hac de re plura verbo: *Æstimatione Bonorum.*

4. Sententia Capitali convictus (*cum præter trium dierum spatiū inducias ad conservandum cum adversa parte non habeat*) vel in hoc

in hostium captivitate constitutus , pro redempzione sui , potest Bona sua quomodocunque vendere , vel impignorare , quibus , & id quanta summa voluerit , etiam sine admonitione consagvineorum suorum , & aliorum quorumvis . AA. I. T. 60.

5. Filiæ , ac Mulieres , in venditionibus & impignorationibus Bonorum , solum illæ sunt admonendæ , quas Bona venditioni , aut impignorationi exposita , cum sexu Masculino , æquali jure concernunt : nam aliæ pro extraneis deputantur , & non secùs , quam vicini , & commetanei , agere permittuntur : hòc excepto ; quod si voluerint , ante hos Bona ad se recipere possint . Ibidem circa fin.

6. Si admonitus , vel admonita , talia bona ad se recipere voluerit , tunc de bonis in uno , eodemque Comitatu existentibus , intra duas quindenas seu 30. dies : si autem Bona sint in diversis Comitatibus , ad summum intra tres quindenas cum venditore accordare debet . Intra quem terminum à Judice assignatum , si pretium juxta Judicis deliberationem , & communem Bonorum æstimationem , admonitus deponere recusaverit , aut non poterit ; tunc liberè Bona vendi poslunt . P. I. T. 60.

7. Si ejusmodi admonitio , & rationum , ob quas

ob quas quis vendere sua Bona vult, legitimatio non præcessit, tunc possunt condisionales, & alii jus proximitatis habentes (quales sunt vicini, & Commetanei) venditorem ad tabulam Regiam; Impignoratorem autem ad Comitatum (qui jam per A. 35. 1729. in Causis pignorum ad quantamcunque sumam indefinite procedit) evocare. Ubi abscessis omnibus juridicis remediis, causæ jurium impignoratiorum in unico termino executioni mandantur. A. 62. 1618.

8. Et *Hereditaria* quidem, depositis omnibus conditionibus veluti nullis, Actor solum juxta communem aestimationem pro se recuperabit, in quantacunque demum summa fuissent vendita: *Hypothecaria* vero Bona, non communi aestimatione mediante, verum deposita integrè, in litteris fassionalibus specificatâ summâ redimet. A. 125. 1647. &c P. I. T. 60. Vicini tamen, & Commetanei, non communi aestimatione, ut fratres, vel sorores, sed totius semper summæ fassionalis depositione, ejusmodi Bona sibi vindicare possunt P. I. T. 60. sub fin.

Admonitio hæc fieri potest in sede Judicaria, vel Congregatione Comitatū illius, in quo bona adjacent: aut alibi per Judicem Nobilium, quomodocunque Notitiam abaliena-

alienationis, facientem. Quo casu etiam conditiones declarandæ sunt ipsis Admonendis, sub quibus Possessor bona abalienare cupit; ut rationes ejus ab Admonitis probari, vel improbari queant: necesse enim est, ut si Admoniti conditiones improbent, illæ in eodem judicio legitimentur: secùs sine periculo summæ capitalis amittendæ, non possunt bona liberè abalienari. sensu Titulorum 58. & 59. P. 1.

9. Hactenus de Admonitione, quæ in Bonorum venditione ut plurimū p̄mitti debet, plenaque sunt dicta. Nunc de ea, quæ in relvitione Bonorum pignoratitiorum, ad levandam pecuniam requiritur, specialius quædam afferenda. Alia est *Admonitio*, quæ olim ad mandatum Regium, vel alicujus Judicis ordinarii per Hominem Capitularem, vel Conventualem; juxta hodiernam verò praxim, penes solius D. Personalis, nomine Regio extradatum mandatum Admonitoriorum Evocatorium, per Juratum Tabulæ Regiae executioni datur. Hanc Admonitionem sequitur evocatio in Curiam, si quando admonitus non pareat admonitioni, nec summan pecuniariam in bonis hærentem levet.

10. *Alia Admonitio* est, quæ peragitur à Judice Comitatensi, Et quidem Judex Nobilium

lium ( si causa summam 3000. flore. purè in Capitali intelligendam, non excedat ) vigore A. 35. 1729. procedere potest penes commissionem non verbalem , sed literatoriam Vice-Comitis , adhibitò ad latus suum uno ex Juratis Assessoribus ejusdem Comitatus . Peracta verò admonitione , si Admonitus pecuniam non recipit , nec Bona remittit ; idem Judex Nobilium ipsum ad dandam rationem non levationis , citat in sui præsentiam . si verò summa Bonis inhærens , ejus aetivitatem excedat , citatio fieri debet ad secundum judiciariam Comitatus proximè celebrandam .

11. Admonitio *Judicialis* fit ex mandato , & speciali commissione Judicis competentis : quam subsequitur citatio ejusdem Judicis , poenæque , hac in materia admonitis non obtemperantibus decretæ ; nisi rationibus sese legitimis tueantur . Admonitio *extra-judicialis* fit medio ut plurimum duorum Nobilium , aut Civium inter Cives , idque solum amicabiliter , ac sine Authoritate Judicis . cui licet admonitus non obtemperet , nulli eam ob rem poenæ legali subjacebit : cum hæc poena solum Judiciariam admonitionem sequatur .

12. Admonitio interdum fit cum *majors*

*summa*: ut quando reluens Bona in - Hypothecata , cum integrali summa Hypothecariorum admoneri curat. Admonitio cum minori summa sit; dum Bona Pignoratitia redire cupiens , cum tribus duntaxat , aut florensis Hypothecarium admoneri curat: forte, quia summam in Bonis hærentem , quanta pro certo sit , ignorat. Hanc minorem summam potest quidem Hypothecarius non levare , nec Bona remittere ( idque sine pena amittendæ summae investitæ , A. 29 1638. expressa ) donec summa integralis deponatur : ubi tamen summa bonis inhærent liquidatur , & eidem ex integro deponitur sine ulla nova admonitione , bona Actori summittenda , & adjudicanda. A. 52. 1655. Nisi conditiones literis impignoratitiis inseru locum facerent exceptioni.

13. Pœnam *Dupli*, contra Foeneratores & malitiosos Bonorum Detentores *Ulad.* D. I. A. 65. statutam ( nempe ut præterea tantam summam pecuniariam Actori dare teneantur, in quanta , Bona erant oppignorata ) iidem tunc solùm incurruunt, quando ad o Etavas , seu forum Regium causæ decisionem differunt , ibique ab Actore, seu pignorante, Pœna eadem infligi petitur. Ut patet ex citato *Ulad. Decreto*; & parte 2. T. 24 item

item P. 2. 7. 71. observa etiam A. 29. 1638.  
*Ibi*: porro si qui legitime admoniti pecuni-  
am suam ad se levare, Bonaque hujusmodi  
usque ad 600. duntaxat *ficer*. Impignorata re-  
mittere recusaverint, & tandem in sedibus  
Comitatum juris ordine conventi, sufficien-  
tem rationem, non levationis pecuniae assi-  
gnare nequivent, Hujusmodi pecuniam amit-  
tant, soli Actori cedente. Cæterum in Foro Ta-  
bulari sic convictis, datur remedium *novi iu-*  
*dicii*, b. t. aut ex Comitatu *Appellationis*. A. 53.  
1625.

14. Judex accuratè servare debet condi-  
tiones literis Impignoratitiis insertas, non  
modò de *summa Capitali*, sed & alias legit-  
imas, & justas. A. 90. 1635. A. 52. 1655.  
ubi statuitur literis pignoracitiis, etiam sub pri-  
vatis sigillis, confectis, locum in Judicio dan-  
dum esse. Quare si in literis illis conditio  
fuerit apposita: *dum*, & *quando*, vel si ter-  
minus aliquis v. g. *dies festus* fuerit præfixus  
pro Bonorum reluitione, cum clausula: *abscis-*  
*sis omnibus iuridicis remediis*. tunc admo-  
nitione præmissa, depositaque ad manus judi-  
ciarias summâ bonis investitâ, admoneas etiam  
sine evocatione, & certificatione, Bona ap-  
prehendere posse videtur: quia hanc legem si-  
bi contrahentes fecerunt. *Contractus nam-*

que ex mutuo contrahentium consensu legem accipiunt. Unde si tali casu Judex non procederet immediatè ad apprehensionem Bonorum, non censeretur servare conditiones, litteris Pignoratitiis insertas. Ad quod tamet cert. legibus obligatur.

15. In arrendationibus Educillorum, vicini Domini terrestres, seu compositores, non admoniti, depositis apud Vice-Comites deponendis, prævia sola admonitione judicaria, talia Educilla de manibus Externorum Arendantium pro se atendare possunt. sic legitur A. 31. 1655.

16. Cùm Articulus 90. 1635. justas conditiones in *relinquitis Bonorum* servandas esse præcipiat, nec tamen eæ, quæ sint, specificet; hinc Com. syst. censet sequentes conditions esse justas. 1<sup>mo</sup>. ut qualitas, & quantitas aureæ, argenteæque monetæ ( nulla cusionis, aut annorum habita ratione ) etiam quoad ligam, tempore redemptionis, talis deponatur, qualis levata fuit, nisi in literis extenuis emanatis, talis summa in florenos resoluta esset: quo casu, moneta quidem eadem in specie; at in quantitate, nunc currenti numeranda erit. 2<sup>do</sup>. ædificiorum, & id genu meliorationum compensationes juxta sensum literarum passionalium accipientur, ubi de est con-

est conventum. Ubi verò nulla compensationis modalitas, sed sola æstimationis ratio generaliter apposita fuerit, talis astimatio iuxta T. 41. P. 1. per opifices nempe, & alios peritos & conscientiosos viros fiat: compensatiōque in condigno valore præstetur.

*3tiō.* Damna tempore possessionis Hypothecariæ, Bello, Igne, & per alios casus fortuitos, citra omnem, vel saltēm gravem Possessoris *culpam*, in ædificiis apprehensis causata, Fundi Domino, ejusque Hæredibus, & successoribus: in extructis verò per Hypothecarium; ipsi imputanda, ac toleranda. Hoc addito: quod prædicta ædificia sic ruinata, Possessori meliorate, ac reædificare semper licet. De quorum pretio tempore redemptionis eundem Possessorem contentari, jus, & æquitas postulant. *Vide plura verbo: Impignoratio.*

## TITULUS IV.

### De Æqualibus spiritualium, & sœcularium libertatibus.

*Num. 1.* **P**ersonæ Spirituales cum Sœcularibus, quoad Bona temporalia, Juraque possessionaria,

eadem libertate, & prærogativa gaudent, codémque processu in Judiciis utuntur. P. 1.  
T. 2. & 3. Porro per Nobiles generaliter intelliguntur universi Domini Prælati, Barones, Magnates, & alii Regni Proceres, qui ejusdem libertatis prærogativâ semper mununtur. *Ibidem.* vide verbo: *Libertas Nobilium.*

2. Personæ tamen Ecclesiasticæ, sive Spirituales Sæcularibus censentur esse digniores: utpote quarum medio, salutem Humanam Salvator noster administrari voluit. Unde ad Tabulam Regni, dextrum Regis latus Prælati obsident: uti statuit etiam S. Stephanus *L. I. Cap. 3.* ordinem Pontificum, ante Principes, Barones, & Comites, juxta solium Regis ex merito collocans. Inter se verò Domini Prælati hunc in congressibus publicis ordinem sessionis servant. Imò. sedet Dominus Archi-Episcopus *Strigoni.* quā Regni Primas, 2dō. D. Archi-Episcopus *Colocensis*, 3tiō. DD. Episcopi Consecrati, juxta Senium consecrationis acceptæ: ut observatum est in novissimis Diætis: unde etiam hoc ordine, ante Barones Regni, eorum nomina confirmationi *AA.* Diætaliū subjiciuntur. Et quamvis Episcopo Agriensi, licet consecratione esset cæteris junior, proximum ab Archi-Episcopo Colocensi locum ad Tabulam Regni

Regni competere , ex antiquissima observatione , ac Ecclesiæ illius inter Episcopales Praeminentia , evincere quidam vellent ; occasione tamen Diætæ anni 1712. questio de ordine sessionis Episcoporum ita conclusa est , ut non attenta antiquitate , aliisque prærogativis Ecclesiarum , quas Præfules Amplissimi gubernant , eo in Congressibus publicis ordine considerent , quo consecrationem Episcopalem singuli adepti fuerunt .

3. Et quamvis , ut dictum est , omnes Prælati , Batones , Magnates , & Nobiles , quantum ad Nobilitatem , & Bona , iisdem Privilegiis , & immunitatibus gaudeant : differunt tamen in Homagiis : nam Prælati , & Barones 100. Nobiles verò 50. *Marcas gravis ponderis* , pro Homagiis suis acquirunt . Facit autem *Marca gravis ponderis* florenos quatuor . P. 2. T. 32. *Marca* verò *levis ponderis* facit florenum unum . A. 57. 1723. & hæ quidem sunt *Marcae Judiciales* . Quibus accenseri possunt *Marcae Homagiales* . De quibus hic solum nota , quod valor earum sit idem , qui Marcarum gravis ponderis : faciunt enim *Marcae Homagiales* 50. florenos 200. quod est *Homagium Nobilis* in Hungaria . Cætera de Homagiis vide Verbo : *Homagium* .

4. Circa sessionem autem Baronum, & Magnatum in publicis Regni Conventibus observandam, ita statuitur A. 10. 1687. ut 1. sedeat D. Palatinus, quā locumtenens Regius. 2. D. Judex Curiæ Regiæ. 3. D. Banus Croatiae. 4. D. Tavernicorum Regalium Magister. 5. Cæteri Barones Regni, juxta prioritatem Collationis Regiæ: quia hi censentur æqualis omnino esse authoritatis. 6. Comes Posoniensis. 7. Duo custodes S. Coronæ. 8. Hæreditarii supremi Comites Comitatuum: juxta prioritatem installationis suæ. 9. Supremi Comites Comitatuum non hæreditarii: juxta senium suæ installationis. 10. Consiliarii Regii: juxta senium sui Consiliariatus. Hos excipiunt cæteri Magnates premiscunt.

## TITULUS V.

### De Æstimationibus Bonorum Mobilium, & Immobilium.

Num. 1. **J**ura possessionaria supra valorem communis estimationis, sive præcedat admonitio legitima, sive

sive non, in præjudicium eorum, ad quos successio pertinet, nemini impignorari possunt  
*P. I. T. 83. vide Kitt. Dub. 27.* ubi in Resolutione sua hæc habet: *Thesis quidem dicitur de ordinaria lege, & statuto Regni.* *An-*  
*titheſis autem (nempe quod bona longe ma-*  
*jori ſumma, quam qua eſſet communis aſtimina-*  
*tionis, jam communiter involvantur) per abu-*  
*ſum introvenit, & adeò jam inolevit, quod*  
*plane scripta legi prævalere videatur.* Illa ca-  
*mē aſtimatio, non ſolū Domos, & Cu-*  
*rias Nobilitares, ſeffiones Jobagyonales, Po-*  
*pulofas, ac defertas, vel Prædiales; ſed eti-*am terras, ſylvas, Prata, Piscinas, & Mo-*  
*lendina, prout in quartalitiorum ſolutione,*  
*per omnia includit.**

2. Quælibet igitur Possessionaria venditio, imo, & impignoratio legitimam ſemper re- quirit eorum, ad quos pertinet, quique ea- dem Bona ad ſe recipiendi habent potestatem, admonitionem. dempto caſu, quo quis ca- pitali ſententiâ damnatus, aut in captivitate apud hostes detentus, pro ſui redemptione Bo- na qualiacunque abalienare vellet. De qui- bus plura, verbo: *Admonitio. P. I. T. 60.*

3. Aſtimatio perennalis, quæ in Juribus duntaxat Possessionaris fit, decies tantum facit, quantum Communis: Quæ perennalis a-

stimatione, paucis in rebus committitur; neque usus admittitur facile, nisi in passionibus clarè exprimatur. P. 1. 7. 133. sed ejus loco universus serè cœtus Nobilium æstimatione communi utitur. *Ibidem.*

4. Si Dominus Terrestris Rusticum, vel etiam Nobilem in Territorio suo ( jure nempe rusticano, adeoque censuales, erga Jus Montanum scilicet, quod Domino pendi deberet, & non per ipsum Dominum Terrestrem, vel ejus Praedecessores oppignoratas, inscriptas, vel quomodocunque eliberatas ) vineas habentem, inde ejicere voluerit, id potest quidem facere, attamen non æstimatione illa communis, quæ de Virgulto, & Rubeto notatus, sed valorem condignum pro vineis præstando P. 1. T. 133. Non quidem quanti Rusticus ille, aut Nobilis Vineam, vel Vineas ejusmodi emit; sed juxta taxationem Judicis, ac Juratorum illius loci, ad quem promontorium pertinet. Potest autem Dominus Terrestris istud facere in sede sua *Dominali* juxta Processum A. 58. 1625. declaratum. Hæc autem æstimatio Vinearum post Festum S. Georgii non habet locum, sed solum antè, idque debito tempore certificata parte interessata. Præterea, ad æstimationem ejusmodi, etiam *Judex* Nobilium cum suo *Assessore*, vicinique,

&amp; com-

& commetanei convocandi, ubi loci conservatio sic exigit sensu A. 58. 1625. confer hæc cum T. 30. P. 3. in fine.

5. *Aëstimatio præmissa 1<sup>mo</sup>.* fit in solutio-  
ne Birsagiorum; & tunc tam jumenta, quæ  
etiam Terræ, & Jura possessionaria æstimans-  
tur communi æstimatione. 2<sup>do</sup>. In quartali-  
tiorum, & Jurium Impignoratitiorum solu-  
tione, ac bonorum per sententiam *Capita-  
lum*, vel *emenda Capitis* occupatorum re-  
demptione. In qua (jumentis exclusis) o-  
mnia Jura possessionaria, & earum pertinentiæ  
æstimandæ. Terræ tamen arables, & pra-  
ta, ad sessiones Jobagyionales Populosas spe-  
ctantes (deemptis Terris, & pratis extirpa-  
titiis, quæ Colonos propriè concernunt, &  
non ad sessiones pertinent) non æstiman-  
tur. Ec tandem juxta præmissam æstimationem  
fit solutio. Et hoc idem est etiam de  
Juribus possessionariis in præjudicium Fra-  
trum, vel aliter indebet venditis, intelligen-  
dum, atque tenendum. P. 1. T. 134,

6. *Tertiò in Dotalitorum restituzione;* in  
qua solummodo Curiæ Nobilitares, sessiones  
Jobagyionales Populosæ, & desertæ, atque  
prædiales æstimantur: extra corpus autem  
possessionis, nulla in hac parte æstimatio ad-  
mittitur. Fitque tandem solutio, parcim  
pecunia

pecuniis paratis ; partim vero rebus mobili-  
bus, juxta verum illarum pretium, quo in  
foco vendi possunt. *Ibidem.* si vero Mulier  
quæpiam, titulum, & nomen Mariti sui por-  
tando, in bonis defuncti manere voluerit,  
tunc si, ad quæ successio hujusmodi Bonoru per-  
tinet, juxta valorem Dotalitii, eidem Mu-  
lieri Bona excindere, & dare voluerit; non  
solum Curiæ Nobilitares, sessionesque Joba-  
gyionales populosæ, & desertæ, sed etiam  
extra Villam Terræ, Sylvæ, &c. quæ Mu-  
lieri dabuntur, prout in quartalitiorum solu-  
tione æstimabuntur, ipsique Viduæ res æ-  
qualis valoris cum Dotalitio, deputantur. *I-  
bidem.*

7. *Quarto* in solutione debitorum, refu-  
sione damnorum, depositione oneris facti ca-  
lumniæ, emendæ lingvæ, ac violationis sedis  
Judicariæ Regiæ Majestatis, ac Comitum  
Parochialium quorumlibet Comitatuum, &  
aliis ejusmodi causis, atque casibus. Et tunc  
similiter res Mobiles, & Venales juxta verum  
valorem eorum, & non secundum limitatio-  
nem T. 133. P. 1. expressam, acceptancus  
P. 1. T. 134. sub fin. s. t. in Metarum re-  
ambulationibus, & rectificationibus, dicta  
communis æstimationis fieri solet, eo solùm se-  
spectu, ut Terræ, Sylvæ, & Virgulta, Pro-  
monto-

montoriisque, de quibus controvertitur, ad  
quot Marcas se extendere videbuntur, cum  
tot Nobilibus jurans, sibi vendicare possit.  
*Ibidem.*

8. Si quis occasione occupationis Jurium  
possessionariorum, vel aliorum negotiorum,  
factum majoris Potentiae tangentium, in Cu-  
riam Regiam fuerit evocatus, & ante deci-  
sionem causae, ex hac luce decesserit, tunc  
successores ejus ratione præmissæ potentiae,  
in æstimatione duntaxat jurium possessiona-  
riorum defuncti, extra portiones Filiorum,  
convincuntur; insuper Bona occupata re-  
stituent, damnaque illata resundent, & resi-  
dua jura possessionaria, si inveniantur extra  
illa, quæ æstimationi suberant, inter Acto-  
rem, & Judicem dividantur. Et hoc fit per  
sententiam, ob non venientiam, latam: nam  
in sententia ex responsionibus partium lata,  
damna juramento mediante recuperantur P.  
2. T. 61. Unde patet Filios ob delicta Pa-  
terna, sententiæ Capitali, vel emendæ Capi-  
tis gravamini in Persona non subjacere; sed  
solum in æstimatione Jurium Possessionario-  
rum convinci. Vineaæ æstimantur, ut Ru-  
beta, & Virgulta, eò, quod ubi cultores  
defecerint, facile iterum in Rubeta, & ve-  
pres degenerent P. 1. T. 133.

9. Aëstimatio est competenteris valoris limitata quedam, & statuta taxatio. Ea duplex est: perennalis, quæ in solis juribus possessionariis fit: *Communis*, quæ, ut dictum est, decies minus facit, quam perennalis. Sic in aëstimatione communi, una sessio Jobagyionalis populosa, valet 1. *Marcam* (per *Marcam* hoc *Tit.* intellige *Marcam* gravis ponderis, 4. nempe flor. facientem) Perennali vero aëstimatur ad 10. *Marcas*.

Cæterum Præmissa communis aëstimatio respectu Bonorum impignoratiorum per novellas leges expresse, & ex integro: in aliis vero casibus, continuo usu, per totum Regnum majori ex parte sublata est, ejusque loco successit aëstimatio condigna, prout scilicet res vendi, vel emi solent. Ubi quoad immobilia communiter fieri solet reflexio ad 6. flor. pro 100.

10. Juvat hic quarundam rerum aëstimationes Communes ex Verboczio adnotare; ultra quas bonorum involutio olim erat lege prohibita. Castrum Lapideum aëstimatur ad *Marcas* 100. sessio, seu Curia Nobilitaris populosa ad *M.* 3. sessio Jobagyionalis populosa, ad *M.* 1. Pomarium Nobilium, adultis fructiferis arboribus constitum, in uno jugere Terræ, Regalis mensura adjacens, ad *M.* 3. contig.

continet autem ulna, sive mensura Regalis  
 17. circiter spitamas unum jugerum Regalis  
 mensurae continet in sua longitudine 72.  
 ulnas Regales. unum aratrum Regalis men-  
 surae, continet in se 150. jugera ejusdem  
 mensuræ, in rerum aestimatione. Molendi-  
 num subtus, vel desuper currens, & tem-  
 pore aestus non deficiens, ad M. 10. duæ  
 Vaccae sine vitulis, ad M. 1. una vacca cum  
 vitulo, ad M. 1. Caballa cum Poledro, seu  
 hinnulo masculo, ad M. 1. sed de his satis.  
 Qui plura volet, legat, T. 133. P. 1.

## TITULUS VI.

### De Ætatibus Puerorum, & Puellarum.

Num. I. **P**Erfecta ætas in Pueris est 24.  
 annorum: his junioræ imper-  
 fectam ætatem agunt. Ætas  
 legitima est 12. annorum, quæ etiam dici-  
 tur pubertatis. Ætas hâc inferior, est ille-  
 gitima & impubertatis. Vocatur autem le-  
 gitima ætas eò, quod lites jam cum alio  
 agere, & instituere possint. Annô quidem  
 12. Procuratores constituere: annô 16. de des-  
 bitis,

bitis, ac pignoris titulo : anno 18. de Au-  
ro, & Argento, cæterisque rebus suis Mo-  
bilibus, fassiones facere possunt. Annō de-  
mum ætatis 24. omnia Bona sua Mobilia,  
& immobilia, vendendi, permutandi, & quo-  
cunque Titulo abalienandi plenariam habent  
potestatem. Conditionibus tamen super ven-  
ditione, & alienatione Bonorum, & Jurium  
possessionariorum conscriptis, per omnia sem-  
per observatis. *P. i. T. III.*

2. Puellæ similiter censentur esse Ætatis  
legitima, cùm annum 12. perfectæ verò ; cùm  
16. consecutæ fuerint. Unde annō ætatis  
similiter 12. Procuratores constituere : annō  
14. de debitib[us], ac juribus impignoratitiis,  
Auróque, & Argento, cæterisque rebus Mo-  
bilibus : at verò anno 16. de quartalitiis,  
dotibus, & cunctis aliis suis juribus, fassio-  
nes sub prædeclaratis conditionibus facere,  
ac de iisdem, prout libuerit, disponere pos-  
sunt. Dummodo Puellæ in Capillis existen-  
tes, & præsertim sub tutela aliorum consti-  
tutæ, ad fassionem aliquam 16. ætatis anno,  
vel etiam post, peragendam, violenta coa-  
ctione non inducantur. Nam tunc, post  
quam sui juris, ac Maritatæ fuerint, fassio-  
nem ejusmodi simpliciter revocare possunt.  
*Ibidem.*

3. Si in *Processibus causarum*, juramentum forte per aliquem Pupillorum præstandum judicaretur; depositio ejusdem juramenti, ad primum annum legitimæ ætatis ipsius Pupilli prorogabitur. *P. 1. T. 130.* Et quia Pupilli usque ad ætatem legitimam, nec cum scitu, nec sine scitu Tutorum aliquid facere possunt, cum sui juris non sint; ideo si quis tales occasione actuum potentiariorum ( asserendo per ipsos, aut de eorum commissione ejusmodi actus potentarios fuisse patratos ) in jus vocaverit; mox in *homagio* illorum convincetur. *P. 1. T. 132. & P. 2. T. 23.*

## TITULUS VII.

### De Agnazione, & Cognatione.

Num. 1. **F**ratres per lineam virilis sexūs descendentes, *Agnati* nominantur: per lineam vero Mulieris sexūs descendentes, *Cognati* dicuntur: & in administranda tutela, Agnati semper præferuntur Cognatis. *P. 1. T. 116.* vide ejusdem *Partis Tit. 117. & 118.* Tholosanus

C

Agna-

Agnatos docet, qui per virilem sexum, nobis conjunguntur, veluti Frater eodem Patre genitus, & Liberi, ac Nepotes ejus: item Soror eodem Patre genita; tum Pater, & Liberi ejus: item Materteria ac liberi ejus: item Amita, liberique ejus. L. 12. Cap. 1. n. 6.

2. Quamvis igitur *Cognatio* sit nomen generale, significans conjunctos tam per sexum fœmineum, quam per Masculinum; hic tamen in jure nostro *Totum Cognatus* accipitur cum restrictione, pro solis conjunctis per sexum fœmineum; iisque solis Masculis, non verbetiam Fœmellis Reliqua de Agnationis, & Cognitionis juribus vide *Verbo: Tutela.*

## TITULUS VIII. *De Appellationibus.*

Num. 1. **A**ppellatio, est ab inferioribus Judicibus ad superiores, cum honestate causæ deductio. P.

3. T. 3. Causæ post finalē earum decisionem, in Civitatibus liberis ad Partis super Judicio Civium non contentæ provocationem, in sedem Judiciariam Magistri Tavernicorum Regalium, appellatione prævia transmittuntur.

tur. Illō autem peractō , si aliqua Pars non sit contenta, ad examen *Præsentia Regia* deducuntur; novis ibidem Partium allegationibus, & exceptionibus per omnia rejectis : nisi talia proponerentur, quæ meritō, & de necessitate ad clariorem informationem, & declarationem facerent; nam in tali casu quilibet Partium audienda erit. *P. 3. T. 100.*

2. Qui à sententia Magistratū Civilis appellat ad sedem *Tavernicalem*, debet causam virtute literarum præceptorialium Magistri *Tavernicorum*, senatiū lonantium, intra 6. hebdomades expetere: depositis prius in Senatu *10. flor. A. 13. juris Tavernicalis.* fecūs enim sententia transibit in rem judicatam; *A. 7. & 36. J. T.* Antequam autem literæ transmissionales extradentur, debet eoram Senatu totus Processus per Notarium prælegi *A. 30. J. T.* Vir etiam Nobilis, si se sponte subjecit judicatui Civitatis, solum ad Magistrum *Tavernicorum*, non item ad *Tabulam Regiam*, inde habet appellandi facultatem *A. 6. T. J.* Vide de his plura verbo: *Civitates liberae, & Verbo: Transmissio Causarum.*

3. Quod si contingat ab examine Personalis *Præsentia*, ratione incidentium, vel aliorum, causam rursus ad priorem Judicem remitti ; tunc si qua Partium super nova hu-

jus-modi revisione non contentabitur; ultius ipsa causa in Præsentiam *M. Tavernicorum* non transmittitur, sed directè in Præsentiam *Personalis Præsentiae* erit deducenda. *P. 3.*  
*T. II.* & etiam post secundam, vel tertiam sententiam, Pars non contenta poterit per gratiam, *novumque Judicium*, causam eandem coram primo Judice resuscitare: & contra Partem toties convictam, *novumque Judicium impetrantem*, sententia lata fuerit, silentium eidem perpetuum imponitur. *Ibidem*

4. Si tamen Pars priùs triumphans succubuerit; tunc illa quoque, ad instar alterius Partis, *novum Judicium* pro se impetrandi, & in eo pari modo procedendi habebit portestatem. At tunc, si contra ipsum quoque post novum judicium sententia dicta fuerit, ex parte etiam ipsius perpetuo silentio causa ipsa terminabitur: ac de cætero neutra partium, aut novum Judicium impetrare, aut causam ipsam ad aliud forum provocare poterit. *Ibidem*.

5. Appellations verò in quibuscumque causis, post earum decisionem, fieri semper possunt: nam aliter denegata facultate appellandi, pauperes adversus potentes, vel alio modo destituti, juribus suis sæpe periclitarentur, secùs est de causis *criminalibus* quæ ad pœ-

ad poenam capitum, vel Mortis damnationem tendunt: Nam in illis appellatio locum non habet; nisi forte Innocentem omnino, temerarij judicio morti tradere conarentur; in quo casu possunt illicè Innocentis illius Fratres, aut Affines ad Regiam Majestatem solam confugere, pariter & in Curiam Regiam causam ipsam provocare. *P. 3. T. II.*

6. Comites, & Vice-Comites, & Judices Nobilium, universas causas, sedem Judiciariam ipsorum concernentes, absque speciali mandato Regiae Majestatis, coram se discutere teneantur; & si non fuerit appellatum ab ipsorum sententia, eandem debitæ executioni demandent. si autem Appellatio intervenerit, in Curiam Regiam, more solito, transmittant sub poena amissionis officiorum suorum. *Ulad. D. 3. 1498. A. 71.* Et si iidem Comites, & Vice-Comites, causas ex Curia Regia ad se remissas, favore Partis adversæ, vel alio aliquo respectu, infra diem 15. à die ipsius requisitionis, absque rationabili causa, executioni mandare neglexerint: ex tunc in 25. Marcis gravibus per Judicem, cuius mandatum executi non fuerint, indilatè exigendis convincantur eō ipsō factō. *Ulad. D. I. A. 73. 1492.*

7. Quando-quidem multi, appellando, Par-

tem adversam graviter molestant; idcirco statutum est, ut, si quispiam de Præsentia cuiuscunque Judicis, in Curiam Regiam appellaverit, ibique Judicium prius factum, approbatum fuerit, in duplo Birsgii, antea ipsi imposui, convinci debeat; & eo facto, & irremissibiliter, per Dominum Judicem ordinarium extorqueatur. *Ulad. D. 1. A. 72. Matt. D. 6. A. 53.* vide infra n. 8.

8. Et si cuiquam in Sedria Cottūs iuramentum, sola sua in Persona sibi adjudicatum, ac deponendum fuerit, ex tunc Pars illa, à tali judicio appellare non possit. *Ulad. D. 1. A. 72. in fine.* Idem intelligendum in Causa transmigrationis Colonorum; 1556. *A. 28. & 1625. A. 54.* Item super violencia Rusticorum; *A. 25. 1613.* vel ubi revocatio Procuratoris, post remissam ex Tabela Regia causam intervenit. *P. 3. F. 6.* Item in causis, quibus per concordiam sic conceditur; aut liquidorum debitorum. De causis non appellabilibus paulò post plura.

9. Liberæ Villæ, seu Civitates recenter creatæ, si de judicatu Judicum, & juratorum suorum, noluerint contentari, ad illam Civitatem cujus libertate funguntur, aut ad Magistrum Tavernicorum. Valeant appellare ita tamen, ut postquam Magistrum Tavernicorum

corum elegerint, ad Judices, & Juratos suos redire non valeant, nec è contrâ, ad ullum ulterius, nisi si opus fuerit, ad Præsentiam Personalem Regiam. *Sigism. D. 2. 1404.*  
*A. 12.*

10. Causa ex Cottu in Curiam Regiam provocata, facta ibidem approbatione, vel reprobatione sententiæ, si remittatur, & novum Judicium, aut revocatio Procuratoris subsequatur, de cætero non est appellationi locus, uti notatum est num. etiam 8. nisi Pars antea triumphans succumberet: nam ei non denegatur instar alterius Partis, appellatio. *P. 3. T. 6.*

11. Si quis super judicio in sede Domini sui Terrestris, sibi impenso, contentari noluerit, causam ipsam in Præsentiam Judicis sui superioris, ad quem scilicet ejusdem cause cognitio spectabit, maturioris discussionis, & revisionis gratiâ, provocare poterit: ita, ut si causa Forum Ecclesiasticum concernere videbitur, ad suum Diæcesanum, vel ejus Vicarium: si autem ad sœculare spectet; ad Vice-Comitem, ac Judices Nobilium appellare queat. *P. 3. T. 25.* Tandem quoque alterâ forsitan Partium non contentâ, in ipsam Curiam Regiam cause essent transmittendæ. *P. 3. T. 26.*

12. Pars appellans, cujuscunque occasione negotii, literas super causis in sedibus Judicariis Comitatuum ventilatis, adjudicatorias, & transmissionales, in sede Judiciaria post ultimam adjudicationem primitus celebranda, si commode fieri potest; aliter autem in sede secundario celebranda excipere, & causam pro termino praefixo ad Curiam Regiam deducere tenetur: si enim id neglexerit, causa in rem judicatam transibit; & in tercia sede judiciaria, litteræ adjudicatoriæ, iuxta latam sententiam, Parti vetrici reddi, & executioni mandari debent. Et hoc quidem in casu, quo negligentia ex parte appellantis, non verò Notarii, vel Judicium admissa fuit P. 3. T. 35.

13. Quamvis A. 28. 1715. statutum inveniatur, ut omnes causæ ad forum Proto-Notariale pertinentes, ibique & in generali Regni Decreto specificatae; si summam duodecim mille florinorum exceferint, Appellationem intra Dominium admittant: quia tamen sensu P. 2. T. 8. Decreta priora tolluntur per posteriora, notanda est dispositio Articuli 28. anni 1729. vi cuius Appellatio ad Tabulam Regiam judiciariam in sequentibus causis non admittitur, nisi extra Dominium Partis appellantis.

14. Et quidem 1<sup>mo</sup> in causis *liquidorum*  
*debitorum*, ubi summa Capitalis non excedit  
*duodecim* millia florenorum. 2<sup>do</sup>. *Divisionum*,  
& earundem *Rectificationum*, nec non *suc-*  
*cessionum*: ubi successio non est tam antiqua,  
& obscura, ut solo quasi nomine Fratres con-  
*divisionales* appellantur. 3<sup>tiō</sup>. *Reexecutionum*  
ubi vel *non citati*, vel *citati quidem*, sed  
*talia Bona executa fuissent*: ad quae *Judicis*  
*Sententia* semet non extendit. 4<sup>to</sup>. in Causis  
*contra Officiales*, & *Servitores reddendis ratio-*  
*nibus obnoxios*, & easdem reddere renuentes,  
aut sufficienter non reddentes; & propterea  
in sedibus *Dominalibus*, adhibitis cum voto  
*præter* *alios Convocatos*, ad minus uno *Ju-*  
*dice Nobilium*, & *Jurato Assessore Comita-*  
*tūs*, *convictos*; *juxta A. 65. 1622. præcisè*  
*ad executionem directis*. 5<sup>to</sup>. in causis, ad  
*mentem Articuli 29. 1662. institutis*, *contra*  
*Civiles Magistratus*, qui sententias *Sacrarum*  
*sedium exequi negligerent*, aut *positivè nol-*  
*lent*. 6<sup>to</sup>. in Causis *Revindicationis Bonorum*,  
*ad mentem Articuli 67. 1622. ubi ea cum*,  
*vel etiam absque literalibus Documentis*,  
*per simplices Dotalistas*, à *successione alienis*  
*tradita fuissent*. 7<sup>mo</sup>. *Pupillorum*, dum ii ad  
*recipienda è manibus Tutorum*, vel *Curato-*  
*rum sua Bona procedunt*. 8<sup>vo</sup>. *Revindicatio-*

nis ab alienatorum, vel in onerorum Bonorum Communium, adhuc Divisioni obnoxiorum: 9<sup>o</sup>. Pignorum usque ad duodecim milia florenorum. 10. Repetitionis litteralium instrumentorum: ubi è manibus alienis, ad mentem Articuli 43. 1659. & 35. 1662. vel etiam à Consanguinitate, per Condivisionales, & jus æqualitatis in Bonis habentes, ad communicandum desiderantur, aut repetuntur. 11. in Causis, motis ad Redemptionem Bonorum, à non Indigenis; juxta A. 23. 1715. 12. in Causis, ad Ejiciendum donatarium, qui contra contradictionem statutioni, per existentem in Dominio, oppositam, Bona apprehendit; suscitatis. Juxta A. 22. Matt. Reg. D. 6. & A. 59. Ulad. D. 1. 13<sup>o</sup>. in causis violentiarum, & ex subditis, vel servitoribus Impensionum. 14. Dotum, Paraphernorum, Rerumque aut Bonorum ex Testamento, in defectu legitimi successoris condito: quoad Comitatenses quidem Causas, summam florenorum mille ducentorum: quoad causas Tabularum Districtualium, summam duodecim millium florenorum non excedentium. 15. Depositorum tempus 32. annorum non excedentium, & in quibus non intervenisse casus fortuitos, clare constat. 16. Contrarium, in quibus omnia juridica remedia,

dia, contractualiter præclusa habentur. 17. *Debonerationum.* 18. *Violata sedis iudicaria.* 19. *Denegationis Decimarum.* 20. *Interceptionis*, vel *violationis Missilium litterarum.* 21. in Causis merè Magistrualibus, seu ereditis actoratu Fisci Comitatensis. 22. in Causis Metalibus, ex fundamento usus suscitatis. 23. in Causis contra Morosos Reparatores communium ædificiorum, per viam *Articuli 69.* 1715. prosecutis.

15. In his itaque prærecensitis Causis, Appellatio ad Tabulam Regiam, non *intra*, sed *extra Dominium* duntaxat admittitur. E contrà verò aliæ Causæ appellabiles, quæ in præmissis non comprehenduntur; *intra Dominium* tantum appellantur. Cit. A. 28. 1729. In Causis tamen, & casibus, in quibus justus subversaretur metus distractionis rerum mobilium, usque ad approbationem, vel reprobationem sententiae in Foro super-Revisorio; & neutra Partium cautionem sufficientem de non distrahendo præstare posset, aut vellet; tunc Judex cuiuscunque Fori, debet ejusmodi Res interea in sequstrum accipere. *Ibidem.*

16. Porro quæcunque Causæ, modò supra declaratō, ad Tabulam Regiam ex sede iudicaria Comitatuum, non *extra*, sed *intra Domini-*

*Dominium* appellabiles sunt; ad sedem quoque judiciariam Comitatuum, *ex Partibus*, seu à sententiis Vice-Comitum, aut Judicium Nobilium, non aliò modò appellari, ac transmitti possunt. A. 29. 1729.

17. Imò licet ex sede judiciaria Comitatūs, ad Tabulam Regiam, inter Causas cæteras ibidem specificatas, causæ quoque contra *Donatarios*, post Contradictionem statutioni oppositam, Bona ingredientes: Causæ Revindicationis Bonorum, per simplices Dotalistas, à successione alienis traditorum; Causæ contra *Officiales*, & *Servitores*, reddendis rationibus obnoxios: causæ violentiarum, & *Impensionum*: Causæ Dotum, Paraphernorum, Rerūmque Legatarum: Denegationis decimarum; depositorum; Revindicationis Bonorum Communium abalienatorum; Redemptionis à non Indigenis: Causæ Repetitionis literarum: Causæ contra nolentes exequi sententias sacræ sedis: demùm Causæ viâ A. 69. 1715. suscitatae; non nisi extra *Dominium* transmitti debeant; ad sedem judiciariam tamen Comitatūs à Vice-Comitibus, vel Judicibus Nobilium, in Partibus procedentibus, intra *Dominium* omnino transmittenda sunt. Cit. A. 29. 1729. Causæ autem Repetitionis Colonorum, per privatos susci-

suscitatæ, ad sedem judicariam quidem Comitatūs, *intra Dominium*: ex hac autem alterius, nullo modo appellabiles sunt. *Ibidem*.

18. Id observandum, quod si in Causa, *extra Dominium* appellantis, transmissa, ille deinde in *Foro super-revisorio* triumphaverit; eidem fructus, medio tempore, ab Adversario precepti, Paritate quoque *Articuli 23.*

1613. cum annexis oneribus (si quæ fuerint) resarciri debeant. *A. 32. 1729.* E contrà verò, in Causa appellans, eandemque ad Curiam Regiam *intra Dominium* deducens, si ibidem succumbat; ad refusionem æquè fructuum, per triumphantem percipi neglectorum, imò, & sumptuum eidem causatorum, obligatur. Ea tamen cum restrictione; ut si in casibus, *intra*, vel *extra Dominium* admittendarum appellationum, is qui in *Foro super revisorio* (*Tabula nempe septem-Viralis*) succubuit, priusquam Causa eo per gradus devenisset, ad minus unius Fori sententiam sibi favorablem consecutus fuerat; pro temerariè, & indebetè appellante censeri non debeat. Ac per consequens, neque ad sumptuum (nisi fortè causa eosdem refundi ex natura sua exigat) neque ad Fructuum Refusionem adstringatur. *Cit. A. 32. 1729.*

19. Cæterum iidem sumptus, & Fructus, à die

à die interpositæ Appellationis, usque ad diem executionis peragendæ computantur: & judicialiter, vel statim in Curia Regia, aut si illa ita deliberet, per Judicem executorem, præmissa sufficienti liquidatione, limitantur. *Ibidem.* Respectu verò Causarum Comitensium, tempus appellationis, quantum ad refusionem prædictam sumptuum, & Frustuum, non in *Partibus* coram Vice-Comite, aut Judice Nobium factæ; sed ejus primùm, quæ post revisionem, in sede Judiciaria Comitatū interposita est, intelligitur. *Ibidem.*

20. Præter denegatas *legibus* suprà *citatis Appellations*; sunt præterea aliæ quoque *Cause*, in quibus sensu *Articuli* 30. 1729. Appellatio ad *Curiam Regiam* non admittitur. Et quidem 1<sup>mo</sup>. in causis Criminalibus, publicorum, & manifestorum Malefactorum. 2<sup>dō</sup>. in Causis ex Curia Regia, ad exequendum duntaxat licet cum annexis Birsgialibus poenis, ad Partes remissis. 3<sup>tiō</sup>. in Causis, ubi poena ex attestari nolentibus ad mentem *Articuli* 49. 1635. defumicitur. 4<sup>to</sup>. in Causis *Compromissoriis*, ubi Partes in compromissō scriptis comprehensō, de admittenda sibi Appellatione per expressum non cavebunt. 5<sup>to</sup>. in Causis, juramento alterutrius Partis, sola sua in Persona deposito, terminatis;

natis; quoad ea, quæ juramento tali includuntur. His adde 6<sup>to</sup>. Causas in contractu, vel obligatione fundatas, ubi Appellationis remedium expreßè præcluditur. 7<sup>mō</sup>. si per mandatum præceptorium, & commissionem ita præcipiatur, ex speciali, atque legali quam piam ratione. 8<sup>vō</sup>. denique, Causæ Repetitionis Colonorum, per privatos suscitatae, ex Paribus quidem ad sedem Judicariam Comitatus; inde tamen ad Curiam Regiam non sunt appellabiles. A. 29. 1729. sub finem.

## TITULUS IX.

*De Authoritate Regis, in conferendis Beneficiis Ecclesiasticis, aliisque Bonis, & Honoribus.*

Num. [i.] **I**N Collationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, summus Pontifex in Hungaria nullam jurisdictionem exequitur, præter confirmationis Authoritatem. Et hoc quadruplici ratione. 1. ratione foundationis Ecclesiarum. 2. ratione susceptæ Christianitatis. 3. ob legitimam præscriptio-

scriptionem. 4. quia ista libertas Regni, in Concilio Constantiensi, tempore Sigismundi Imperatoris, confirmata extitit. P. i. T. 11.  
 Unde *Collationes Beneficiorum Ecclesiastico-rum Majorum* ( puta Archi-Episcopatum, Episcopatum, Abbatiarum, & Præpositura-rum ) simul cum Bonis, & juribus possessio-nariis, Ecclesias Dei concernentibus, ad Principem, & Regem spectant. P. i. T. 12.

2. Tametsi olim Rex, Bona etiam Indigenis bene meritis, ultra 100. Colonos, *sine consilio Prælatorum, & Baronum conferre* juxta A. 9. 1492. *Ulad. Regis* non posset; sensu tamen A. 26. 1498. tota hæc limitatio Authoritat-is sublata est. Statuitur tamen A. 15. & 16. 1439. ut tametsi Rex honores sacerdotes, abs' que quolibet Consilio, *Indigenis* pro arbitrio conferendi, ab iisdemque auferendi haberet fa-cultatem; possessiones tamen *Indigenis tan-tum*, iisque pro servitiis duntaxat, & non pro pecuniis conferret. *Electio omnium Of-ficialium*, præter *Palatinum*, qui per Regem, & Regnicolas elititur, ad Regem perti-net; potestque *Officiales modernos*, vel re-tinere, vel pro arbitrio constituere. Ludo. 1526.  
 A. 2. Vide verbo: *Donatio Regia*.

# TITU-

## TITULUS X.

## De Birsagiis , seu Multis.

Num. 1. **B**irsagium ( ex Ungarico *Birság*) est onus, seu Multa, ex *Juridicis*, & saepe aliis gravamini-  
bus , à jure tamen determinatis , exorta.  
Finitis Causis, longa die , seu processu terminati solitis , universa judiciorum onera , seu  
Birsagia , in Processibus earundem Causarum  
accumulata , exigi solent. P. 2. T. 86. licet  
*bedie* , non expectata accumulatione , statim  
ubi emergunt , exigantur.

2. Quæ , si in Causam attractus , mox  
finitâ causâ , coram suo Judice , paratis in  
pecuniis persolvere , ac deponere voluerit ;  
tunc quamlibet Marcam uno floreno redime-  
re poterit : quarum duæ partes semper Judi-  
ci cedunt , tertia vero Actori . Si vero co-  
ram suo Judice , illa in instanti deponere no-  
luerit , aut non poterit ; Judicem tamen su-  
per eo postulaverit , eumque monuerit , ut  
hominem suum exmittat , cui per assignatio-  
nem certæ partis Bonorum pro oneribus il-  
lis satisfactionem impendere possit ; tunc sin-  
gulas Marcas binis florenis exolvere valebit.  
si demum his neglectis , necesse fuerit Judici

ad executionem , desumptionemque Birsagiorum ad Partes procedere ; tunc *quævis* Marca quaternis florenis compensabitur. *Ibidem.* & *P. 2. T. 69.*

3. Observandum hic *1mō.* quod in exactione , aut depositione Birsagiorum , quilibet florenus 100. denarios , sive 60. cruciferos efficere debeat. *§. pennult b. t. & Ulad. D. 1 A. 99.* *2dō.* quod universa Birsagia judiciaria tam simplicia , quam cumulariva , in duabus Judicii , in tertia vero partibus , adversæ parti obveniant. *b. t. & in sedibus quidem judiciariis Comitatum , Portionem judicariam supremus , aut Vice-Comes æqualliter dividere debet cum Judicibus Nobilium Sigis. D. 6. A. 3. 3tiō.* quod in executione Birsagiorum , primum res mobiles convicti facile in pecuniam convertibiles , etiam pecora , si reperiantur ; alioquin jura ejusdem possessionaria occupari ; & ex iis satisfactio impendi debeat. Ex quibus præprimi Partem Adversam Judex contentare tenetur *P. 2. T. 86.* Et *Matt. Regis D. 6. A. 52. 869.* *Ulad. D. 1. A. 66.* Judices Comitatenses debent convicto post admonitionem , quin denam unam relinquere , antequam ad executionem Birsagiorum , quæ in sedibus judiciariis intervinerunt , procedere possint. *Matt. Regis*

*Regis D. 6. A. 52. Cit. vide Verbo: Capitatis sent.*

4. Universæ Causæ in quatuor terminis Octavalibus decidi, & finiri debent, in quibus juridica gravamina simple duntaxat modo cumulantur; & non nisi in tertia evocatione, quæ ex simplici admonitione processura est, duplentur ( sed hæc *duplatio* jam recessit ab ulo; ut notat *Kitt. Dub. 87.* ) in primo námque octavali termino, dum InCatetus non comparuerit, in judicio trium marcarum convincetur per Actorem, & tam ad earumdem Marcarum restitucionem; quam etiam ipsius Causæ prosecutionem iterum evocabitur; & hæc *evocatio secunda* appellatur: Unde si nec ad secundam evocationem judicio se sistat; iterum in tribus Marcis: vel si priores tres Marcas non depositit; in duplo, sive 6. Marcis convincitur, & aggravatur: & hoc tam in longis, quam brevibus Causarum processibus. Si vero *Pars J. Jobagynes*, vel *Familiares* suos ignobiles, *intiri statui* petitos, non *statuerit*; respectu singularum non *stattitorum*, in singulis Marcis convincitur. Et si demum Actor, in termino judiciorum non compatuerit; in *Judicio Regali*, seu in 6. *Marcis levis ponderis*, totidem *Horenos facientibus*, condemnatur. *P. 2. T. 86. & P. 1. T. 1. § 4.*

5. In Sedriis Comitatum, ratione Violentiarum, & actuum potentiariorum, poena ultra 100. florenos decerni non potest.

P. 3. T. 26. Ubi tamen ante executionem, Partes concordaverint, Birsagium per Judices nullum exigi potest; secus tenendum, si primò post executionem pœnæ, concordia ineatur. *Ulad. D. 2. 1495. A. 13.* si quis Colonorum pro aliquibus delictis jure condemnatus fuerit; talis, & pœnam jure sibi decreta, & Birsagia jure pronunciata, Dominio suo Terrestri, vel ejus officialibus personat. *A. 4. 1548.*

6. Rex ordinariâ suâ Potestate, Birsagis per quoscunque Judices (*præter Palatinum*) convictis imposita, relaxare potest. *A. 9. 1485. de ante Palatini.* Juvat hic adducere *Articulum 55. 1625.* ubi sic statuitur: *inconveniens est*, quod status, & ordines in processibus Causarum, penes Articulos, de violentiis novissimè editos, motarum, non absque notabili abusu irrepsisse intelligunt; dum in nonnullis Comitatibus pœna violentiæ, alias de jure Regni, centum florenos *Hungaricos* faciens (*hinc patet, quo genere, Monetæ, seu qualibus florenis Birsagia, aliaque onera judicialia persolvi debeant*) 25. florenis duntaxat deponi consuevit: quare statuitur,

tuitur, ut imposterum *Pars convicta*, ob pœnam Potentiae, non in paucioribus, quam centum florenis Hungaricalibus convinci debat; in una Judici, in altera autem mediatae Actori cedendis. Ita ibi. Confer dispositionem hujus Articuli cum illis legibus, quæ Birsagia in duabus Judici; Parti verò adversæ solūm in tertia parte adjudicant: unde erues, male confundi Birsagia cum violentiis, aut pænis earum.

7. Hujusmodi Porro Birsagia interveniunt præsertim in Tabula Regia, ex Violatione sedis, ex Emenda lingue, & Prohibitibus, ex Inhibitione tempore proclamationis, & causa depositione, Procuratoria revocatione, Indebita Actione, & non obtemperatione Compulsoriis. A. 49. 1635. & 1613. A. 23. Catus præterea varii sunt jure passim expressi, sic 1mo. incurritur Birsagium hujusmodi, cùm quis maletactorem quempiam ex captivitate voluntariè dimittit; nam homagium dimissi, & Damna læsis persolvere tenetur. Ulad. D. 1. A. 8. 2dō. quicunque in Comitatu pro Jūdicibus Nobium eliguntur, & onus assūmere recusant, in 50. Marcis immediatè per Comitem exigendis, convincuntur eō factō. Matt. D. 6. A. 9. 1486. 3tiō. In iis, qui decimas Ecclesiasticas præstare recusant, su-

premus, vel Vice-Comes à Decimatoribus  
requisitus, habet jus non solum eas; sed etiam tres Marcas gravis ponderis pro se indilatè desumendi. *Sigif.* D. 6. A. 7. Turbans verò Decimationem, aut violenter decimas auferens; in duplo convincitur. A. 95.  
1647. 4tò. si Prælatus alteri, quām Domino Terrestri decimas elocārit; illius anni decimas amittit, Domino Terrestri sine solutio-  
ne, attribuendas. A. 61, 1548. vide tamen de his verbo: *Decimæ.* 5tò. non obtemperan-  
tes Regiis mandatis, præter alias pœnas A. 78.  
1563. expressas, etiam ad florenos 200. Bir-  
sagiantur. Ubi observandum ex cit. *Articu-  
lo*, triplex esse mandatum Regium: primi ge-  
neris sunt illa mandata, quæ dantur ad Ju-  
dices, & negotiis exequendis Præfectos; Cu-  
jus generis mandatum si quod non observe-  
tur; tunc non observans citatur in sedem  
Regiam, ubi excusatione non subsistente,  
condemnatur in 200, florenis & privatione  
officii, ratione cuius mandatum exequi de-  
bebat. Mandata verò secundi, & tertii ge-  
neris, non sunt hujus loci. *Artis.* 79. & 80.  
ejusdem anni 1563. 6tò. incurritur onus Bir-  
sagiale ab eo, qui mortuum, vel Puerum e-  
vocavit, aut Nobilem statuendum commisit:  
quo casu convincitur in pœna homagiali so-

*Marcarum* gravis ponderis. *P. 2. T. 23. & 70. 7mo.* si homo Regius, vel Palatinalis in possessionariis statutionibus, metarum Reambulationibus, Revisionibus, Inquisitionibus falso processerit, in facto perjurii, poenâ capitâ, ac amissionis omnium bonorum convincetur. *Ulad. D. 1. A. 43.* Quæ lex, utpote posterior, videtur derogâsse *Articulo 8. D. 6. Matt. Regis*: à quo præter amissionem honoris solius; *25. Marcæ* hujusmodi delinquentibus imponuntur. Alia Birsagia vide suis locis; præsertim verbo: *Pœna, Damnum, Violatio sedis judicariae, Calumnia, Emenda linguae. &c.*

## TITULUS XI.

### De Bonis Furum, & Homicidarum.

*Num. 1.* **E**X præmissis itaque, & instâ adducendis Casibus, manifestum fit, quod extra Crimen lese Majestatis, ac Notam Infidelitatis; bona delinquentium, sive in Actibus majoris potentie, sive in minoris potentie, ceterisque maleficiis convictorum, in Fiscum Regium non

devolvantur. Quare Furum, ac Lattonum, seu Prædonum, & aliorum ejuscemodi spoliatorum: Item Hemicidarum, & aliò modò ( id est: extra circumstantias illas, in quibus verberare, aut occidere Nobilem, olim fuit cùsus Notorius: uti occidere, aut vulnerare hominem Regium in suo officio procedentem ) Nobiles vulnerantium, seu verberantium, Domosque eorum violenter invadentium: nec non Possessiones, Territoriaque aliorum de prædantium, vel occupantium, Bona, & jura possessionaria in Fiscum minimè devoluntur, neque collationi Regiæ subjacent. sed tales ultimò dunataxat suppliciò, juxta eorumdem merita, feriendi. P. I. T. 15.

2. Bona verò, & jura possessionaria ipsorum ( si morte damnati fuerint ) in Filios; & illis non existentibus, in Fratres eorum Generationales, aliósque legitimos successores derivantur. *Ibidem*, & A. 55. 1486. *Ibi:* quod si quis Nobilium ordine judiciario, sive in facto potenti li succubitus Duelli, sive in poena Calumniæ, sive delationis, exhibitionisque falsarum Litterarum, aut sententiæ Capitalis, sive alio quocunque facto, in Præsentia cujuscunque Judicis convictus fuerit; Judex Causæ, talem convictum captivare, & tribus diebus causâ pacis, & concordiæ detine-

detinere debeat. Et siquidem concordare ne-  
quiverit, ex tunc ad manus Adversarii, sed  
infligendam pœnam à jure statutam, assignet:  
Qui, si hujusmodi convicto mortem, vel a-  
liam pœnam à jure statutam intulerit; à Ju-  
dice, & Parte Adversa, sine solutione alicu-  
jus pecuniae, vel gravaminis, absolutus ha-  
beatur. Quodque Filii, Fratres, Proximi,  
sorores, Uxores, & Consanguinei, ejuscemo-  
di Convictorum, & Condemnatorum, non  
debeant aggravari. Ita quod neque propriæ  
Possessiones, & Portiones illius, neque alia  
Bona per Judicem tollantur; demptis dum  
taxat illis rebus, quæ apud ipsum, tempore  
captivationis, reperirentur, quæ per Judicem  
auferuntur, eique cedunt: sed omnino in  
Filios, & Hæredes, sive Generationes suas  
(en explicationem verborum: in generando  
efficaces, & sufficietes; Partis i. Titulo 15.  
insertorum) condescendant. Idem habetur  
A. 9. & 10. 1351. assignatio tamen Rei in  
manus Adversarii, hodie non est in usu.

Res tamen alienæ, tempore captivationis  
apud Furem, vel Prædonem repertæ, pro-  
priis Dominis restitui debent: prout jam com-  
munis Judicum usus obtinet. Secùs enim  
gravis injuria fieret damnificato. Præterea  
licet Reus pœnam à lege statutam subeat,

damna tamen, per ipsum causata ( contra sensum Articuli 55. 1486, immediate citati) refundi debere ex ejus Bonis, si quæ habet, tenent Canonistæ, & cum his *Kitt.* cap. 9. Q. 8. & 30.

3. Ubi autem Malefactores hujusmodi, gratiam vitæ à Rege impetraverint, & sententia nihilominus ( scilicet *Capitalis*, vel *Emenda Capitis* ) in Bonis eorum executioni data fuerit; tunc jura possessionaria ipsorum, è manibus Judicis, & Adversæ Partis, quibus *juxta T. 60. P. 2.* obvenerunt, per successores legitimos æstimatione communi mediante, redimi possunt. *P. 1. T. 15.* prout hæc habentur clarius *P. 2. T. 56. & 57.* Ubi additur; quod successoribus legitimis non existentibus, etiam Vicini, & Committanei ejusmodi Bona ( non tamen communi, sed condigna æstimatione, argum. *P. 1. T. 60.* ) ad se redimere possint: modò terminum à Judice assignatum non transcendant. Ubi notat *Kitt. Cap. 9. Q. 9.* quod Pater, amissa semel hoc modò per sententiam *Capitalem*, aut *emenda capitis* Bona, & per Filium, licet adhuc indivisum, redempta, etiamsi secundò in eandem sententiam inciderit, iterum amittere non poterit; cum post talem redemptionem, non sint amplius Patris, sed Filii.

*Quæ*

Quær, utrum verberare hominem v. gr. Regium, extra functionem sui officii; sit actus majoris, an vero minoris solum potentiae ratione dubitandi; quia lex casum restringit ad actualem functionem officii. R. esse actum majoris potentiae. Non quidem quia verberatur homo Regius; sed quod verberatur Nobilis: cuius verberatio, sine ulla restrictione, salvaduntaxat justam defensam; ad actum majoris potentiae reducitur.

## TITULUS XII.

### De Bonis, in Lite existentibus.

Num. i. **S**i quispiam praetextu Haereditatis, aliquorum jurium Possessionariorum, causam, litemque suscitat, & ante finem litis, sine semine decederet; tunc ejusmodi bona à Principe impetrari non possunt. Cum Princeps non sit successor, ac Haeres eorum, quæ decedens ipse nondum juris sui fecerat, sed in dubio adhuc litis illa se consequetur sperabat. Aliud sentiendum de Bonis, quæ decedens præmanibus alienis pignoris, vel alio, quovis

*tulō redemptibiliter* habuit obligata: hæc enim impetrari, à Rege, vel etiam cui is contulerit, redimi possunt semper per eundem.

P. I. T. 27.

2. Hinc prodiit tritum illud: *quod lites venundari, & coëmi non possint.* Quod quidem dictum non est sic intelligendum, quod quis Bona sua sub lite existentia, non possit vendere, aut alteri cedere, & litis prosecutionem justò titulō in eum transferre: sed ita *proverbium* hoc accipiendum; quod Emptor Bonorum sub lite existentium, si ante sententiam definitivam, mori venditorem continget; oleum, & operam, Processui per venditorem inviato impensam, sit perditurus: utpote cum talis processus unà cum Patrono suo mortificetur, & annulletur, novisque ad acquisitionem eorundem Bonorum sit instituendus. Imò nec vivente tali venditore, Emptor nomine suo in eadem causa agere potest, sed nomine duntaxat venditoris; quandoquidem propter dubium litis evenatum, nondum talia Bona possit affirmare sua. Ex quibus adhuc verum manet, Bona litigiosa non posse pretiō comparari. P. I. T. 27.

TITU-

# TITULUS XIII.

*De Bonis Jus Fæmineum non concernentibus, vel concernentibus.*

Num. 1. **B**ona Donatione Regia, per defectum seminis, sive Notam Infidelitatis, Crimis læse Majestatis, aut etiam Juris Regii acquisita titulo, etiamsi pecuniaria summa contradictoribus in statutione obvenientibus solvatur, Jus Fæmineum non concernunt: nam jurium possessionariorum proprietas ad radicem, atque originem acquisitionis, quæ est *Donatio*, semper est referenda. P. 1. T. 28. & 21. Nisi tamen Imperator aliter disponat; tunc enim de tali pecunia, quæ tempore statutionis pro Hæreditate contradictoribus data est, modalitate *tituli* 17. & 19. P. 1. Filii quoque legitimam Portionem habere debebunt: Eademque habenda ratio de Donationibus, per Palatinum factis: qui licet jam Bona, per Fiscum possessa, conferre per Art. 4. 1723. non possit, veteres tamen Donationes per cum legaliter factæ subsistunt.

2. Jura possessionaria , aut Maternis empta pecuniis; vel Paternis comparata: item in Homagium interempti alicujus data, & obligata: item pro Jure Quartalitio , seu in sortem refusionis, & restitutionis *Quarta Puellaris* perpetuò collata, & inscripta: Item ea, in quibus aliquæ Puellæ, vel Fœminæ in versus successores, per suam Majestatem præficiuntur quoad utrumque sexum ( modò dicta inscriptio perennalis Quartalitii, aut *Praefectio* non sit in præjudicium Fratrum generationalium ) Jus Fœmineum æquè, ac Masculinum perinde sequuntur P. I. T. 17. & 6. fin. Ubi rectè notatur , quod Quartalitia non nisi de juribus possessionariis *acquisitis* solvantur : de juribus autem *emptitiis* , non Quartalitia , sed portiones congruentes Puellis, & Filiabus Nobilium dentur.

Dicitur notanter : *pecuniis Paternis* , vel *Maternis empta*. quoniam in juribus possessionariis , pecuniis aliquorum Fratrum comparatis, Puellæ, Sorores videlicet eorum nihil juris habent: nisi forte titulo Quartalitii, iisdem Bonis inscripti. Dicitur secundo , quo ad utrumque sexum; nam si Mulier aliqua in juribus Paternis in verum hæredem Masculinum simpliciter præficiatur , non inferendo utrumque sexum ; tunc talia jura solum in Filios;

Filios, si habuerit; aliter autem rursum in Fiscum Regium devolvuntur: solo jure quartalitio de iisdem Bonis, Filiabus relicto P. I. T. 17. sub fin.

3. Bona tamen stabilia sive à Rege, sive à quocunque alio: sive perennali, sive inscriptio jure: ob servitia simul, & pecunias acquisita, hodie contra antiquam juris P. I. T. 21. dispositionem, concernunt utrumque sexum; sive pecunia superaddita fuerit grandior, sive minor. Teste Com. Syst. & argum. Articuli 26. 1715. Ibi sub medium: in cuius præjudicium (Fisci Regii) non solum de quibuslibet caducis hujusmodi Bonis Titulo perennali; sed inscriptiō pure, & non mixtē, propter fidelia servitia, per collationem Regiam acquisitis, ultimus deficiens non secūs, quān beneficiō liberæ dispositionis, à Regia Majestate obtentæ, testari poterit.

4. Ad exclusionem Fœminæ sexūs hominem ex aliquibus Bonis, nec Litteræ novæ Donationis, imd̄ etiam litteræ divisionales inter Fratres masculini sexūs; sed nec expeditoria super Quartalitorum solutione confectæ, sufficienes habentur; sed originales litteræ acquisitionis hujusmodi Bonorum requiruntur. P. I. T. 37. Quod si originales perivissent, tunc in causam attractus debet ju-

rare cum 49. Nobilibus. Quò præstito; non ad dandas Fœminis ex Bonis ejusmodi Portionis congruas, sed ad solvendum duntaxat Quartalitium compellitur; nisi *quietantia*, seu *recognitio* super soluto jam Quartalitio ha-beatur. *Ibidem.*

## TITULUS XIV.

### *De Bonis Aviticis non ab alienandis.*

Num. 1. **N**emo jura possessionaria Avita, aut Paterna in præjudicium eorum, ad quos successio pertinet, alienare potest, nec ullam sine con-sensu eorum, quoad venditionem, eorundem, fassionem facere potest: quæ etiamsi fieret, nullius censeretur esse vigoris. *P. 1. T. 58.* secùs tamen est, dum Bona aliqua possessio-naria præ manibus alienis Pignoris Titulo ha-bitia redimeret; vel Dotem, & Res Para-phernales, atque Jus Quartalitium quispiam solveret; si inquam tali casu, unam portio-nem, aut particulam venderet, ut residuitas Bonorum hac ratione, ab onere necessario eriperetur. *Item* si quid abalienaret de Bo-

nis Aviticiis Piscinas, Molendina, Domosque, & Curias ex necessitate construendo; vel Portionem aliam, & forsitan venditâ meliorem, emendo, aut conueambium Possessionario faciendo: quæ cùm Hæredi, aut successori in lucrum Hæreditatis cedant, revocari non possunt. *P. 1. T. 59.* Huc refer casum, quo quis se ex Hostium captivitate, aut à morte redimeret. *Ibidem.* & *P. 2. T. 57.*  
*P. 1. T. 60.*

2. Fassio igitur Patris, aut Fratris, super abalienatione Bonorum, Filium aut Fratrem (idem intellige de Filiabus, aut Sororibus, si Bona utrumque sexum sequuntur) jure successionis Avitæ concernentium, nullius est firmicatis. *Ibidem.* itnò nec propriam quidem Portionem quis abalienare ex Bonis Aviticiis, sine evidenti, ac rationabili Causa, in præjudicium legitimorum successorum permittitur. Quod si verò rationabilis sit abalienatio, & nomina Filiorum, vel aliorum in serie fassonis, in assumptione oneris specificata fuerint; tunc vivente Patre, aut Fratre abalienatore, fassio ejusmodi cum homagio, & Communi aestimatione omnium Bonorum; mortuo verò Abalienatore, solummodo communi aestimatione ipsorum iurium Paternorum, retractari poterit. *P. 1. T. 59.*

si verò assumptio oneris generaliter facta fuerit, & nomina Filiorum, vel Fratrum in fationis serie expressa non fuerint, tunc ejusmodi oneris assumptio nihil tenebit, sed simpliciter invalidari poterit. *Ibidem.* sed hæc magis ad *Titulum de Oneribus assumendis* pertinent.

3. Unde sciendum; quod si aliquando eiusmodi venditio, *simpli modo*, seu sine rationabili causa (qua de re agitur *verbo: oneribus assu.*) per quempiam committetur, vel etiam eadem Bona puræ impignorationi exponerentur; tunc fassio ejusdem vendentis, aut exponentis simpliciter invalidaretur, & Portio Filiorum sine omni prorsus solutione; Portio verò Patris, communis estimatione mediante, iisdem Filiis reddi debet. *P. I. T. 61.*

4. Notandum ulterius; quod si quando Fratres natu majores, & interdum etiam minoris, absentibus Fratribus natu majoribus, Jura possessionaria eorum Paterna, & Avitaria nondum divisa, oneribus cæterorum Fratrum in se assumptis, impignorent, aut perpetuo vendant; pérque hoc *Emptores*, non solum Portionem vendentis, sed etiam Fratum Cæterorum pro se vendicent: quod inquam tunc Portiones cæterorum Fratrum sine omni

mni prorsus solutione Actori, vel Actoribus, in primis octavis reddi debeant: Portio autem Fratris vendentis aestimabitur, & va- lor tantum Communis estimationis, in pecunia Emptori restituetur; siquidem abalienatio dicta, fuerit sine rationabili causa. P. i. T. 61. Pro residuitate autem summæ in fassionalibus denotatae, reliqua bona vendentis aestimabuntur per eundem Jūdicem: & Emptori in compensationem dabuntur. Quod si ven- ditor nec bona mobilia, nec immobilia, ex- tra Pottionem condivisionalem, tanta habue- fit, ut ex eis Emptor contentari valeat: damnum sibi metipsi incurvus Emptor impu- ter. Ibidem.

s. Portò Articolo 47. 1723. hæc statuu-  
natur: Quandoquidem nonnunquam Fratres U-  
terini, & Carnales, aut etiam tantum Car-  
nales, vel Uterini indivisi, ex fiducia Titu-  
li 43. P. i. & Articuli 54. 1655. ad dilap-  
pationem Bonorum Paternorum, Materno-  
rumque provocarentur, hinc statuitur; qua-  
tenus hic, aut ille Fratum, qui priori legi  
inhætere noluerit, non nisi talia bona, quæ  
ex fructibus Bonorum Aviticorum, Paterno-  
rum, vel Maternorum acquisita fuissent;  
communi ( Bonis utrumque sexum concer-  
nentibus ) etiam inter Sorores divisioni sub-

mittere teneatur. Reliqua vero aliis viis parta, penes Portionem ex praemissis Aviticis, eorundemque fructibus, eidem obvenientem, pro se, & successoribus suis retinere possit. Mutua, hoc non obstante, in praemissis Bonis legali successione, in defectu seminis, pro reliquis Fratribus, vel Sororibus, aut eorundem Hæredibus, in salvo permanente.

6. Præterea quævis Bonorum communium, & adhuc divisioni obnoxiorum, aut Bonorum Fratris, vel Sororis abalienationes, vel etiam præjudiciale inonerationes, sepositis quibusvis conditionibus, & passionibus, deinceps ineundis, tanquam ipso jure nullis casantur. Ac Fratres, vel Sorores, aut eorum successores, & quidem Bonis, in pluribus Comitatibus, sitis; coram Tabulis Distictualibus: in uno vero Comitatu adjacentibus, coram Judicibus Comitatensibus judicatiter vindicare possint. *Ibidem.*

7. Insuper qui propriam suam portionem sine legitima ratione, vel legali admonitione, penes passiones *Authenticas* distraxit; coram Tabula Regia, vel Banali in unico termino: si vero sub *private* sigillo contractum celebravit; etiam coram Comitatibus: per alios Fratres condivisionales convinci, Portioque abalie-

ab alienata ab Actore recuperari valebit. *Ibidem.* Demum utroque hoc casu, venditori ( si exinde dilapidator comperiatur ) sequestrum imponitur. *A. 48.* 1723. legitimis nihilominus, & necessariis, justisque, & rationabilibus in hypothecationibus, earumque conditionibus juxta *Tit.* 59. & 60. *P. 1.* & ad mentem *Articuli* 29. 1638. ac 52. 1655. in suo esse permanentibus. *Ibidem in fin.* vide plura verbo: de Oneribus assumendis.

## TITULUS XV.

### De Calumnia.

Num. 1.

**C**alumnia, est litis contra quempiam, duplice sub colore, vel diverso trahite fraudulentam actionem, atque suscitatio. *P. 2.* *T. 70.* potest tamen etiam extra motionem litis, calumniosè quis agere: ut videre est; *Matt. D. 6.* *A. 36* & in easibus paulò post adducendis. Tribus tamen præcipue modis committi solet: Imò. dum quispiam unam, & eandem rem, vel actionem duplicei sub colore, aut via prosequitur: coram diversis nempe judiciis, vel sub duplice titulo: v. gr. perennali, & pignificatio, rem eandem sibi readicare conando.

2dō. Calumniosè procedit, qui alterum contra suam expeditionem, vel Quietantiam, super quocunque negotio, jure impetit: aut eo decedente, ipsius legitimi successores talis modi Absolutum in litem trahunt. 3dō. qui causam ordine judiciario finitam, & sotipam, sinè gratia Principis, & collatione novi judicii resuscitat. P. 2. T. 70. Quo casu principalis causa, hoc est, res illa, quæ judicio quarebatur, sive sit castrum, aut aliud jus possessionarium, sive pecunia, aut dotalitium; in perpetuum amittitur eō factō, & insuper calumniator ille in 50. *Marcis Homagialibus* 200. florenos Auri facientibus, in duabus Judicii, in tertia verò partibus in causam attracto solvendis, convincitur. *Ibidem*. consonat his *Titulus* 72. P. 2. Item *Kitt.* C. 9. Q. 19. Unde patet, Calumniam esse exceptionem peremptoriam litis.

2. Sunt præterea & alii casus, qui poenam Calumniae secum trahunt. 1mō. quidem ubi Actor universas litteras jurium aliquorum possessionariorum præ alienis manibus esse assertuerit; & postea aliquas, factum talium Bonorum tangentes produixerit, vel exhibuerit; mox in factō Calumniae convincetur. P. 2. T. 34. 2dō. qui novum judicium cum inhibitione impetrat, sive à Rege, sive ab aliquo *Judi-*

Judice Regni ordinario; litteras tamen relatorias, infra terminum reportationis hujusmodi novi judicii, extrahere negligit, sique Partem adversam ab executione litterarum suarum adjudicatoriarum inhibendo perturbat.

*Ulad. D. 5. Artic. 11. & Kitt. C. 5. Q. 3.*  
*3tiò. Qui rem quacunq; ab alio judicialiter quærit, & produci, aut restituì petit, quam tamen præ manibus suis habet. Kit. C. 9. Q. 17.*  
*4tò. qui binariam Citationem, Certificac-  
 nem, aut Evocationem, respectu unius,  
 ejusdemque causæ scienter adhibet. Kitt. C. 4.  
 Q. 10. Idem Cit. C. Q. 26. asserit eum, qui  
 Calumniam allegavit, nisi illam intervenisse  
 probaverit, de plano, & de simplici, causâ  
 cadere suâ.*

Non videtur autem esse dubium, quin etiam in causam attractus calumnietur, pœnamque proinde Calumniæ incurrat, si se dolose defendat; ut patet ex generalitate tex-  
 tūs *Tir. 70. P. 2. Item 25. ac P. 1. T. 82.*  
 Ad hanc Calumniæ speciem revocat *Kit. C. 9. Q. 17.* illam, dum quis litigantium, duobus juridicis remediis, ejusdem vel diversi generis simul, seu alterò priùs non deposito, vel judicialiter non cassato, utitur.

3. Pœna verò Calumniæ, de jure muni-  
 cipali Hungariæ, est perpetua amissio causæ;  
 E 4 & insu-

& insuper calumniator ipse in 50. *Marcis Homagialibus*, 200. florenos facientibus, in duabus Judici, in tertia vero parte in eam sam attracto persolvendis, convincitur ipso factō P. 2. T. 70. & 72. & praxis moderna coram Judicibus tamen Comitatensibus, sive in sede judiciaria, sive in partibus procedentibus, non ut *Calumnia*, sed ut *Emenda linguae*, poena hæc pecunia pronuntiatur; ac proinde præter amissionem causæ, 100. duntaxat florenis Calumniator castigatur. *Kitt. C. 9. Q. 19.* si tamen Causa Calumniosè mota, p.r viam appellationis in Curiam Regiam deducatur, & illic judicium Comitatū approbetur; 200. floreni solvendi erunt: quorum duæ pars non jam Comitatensibus judicialibus, verum Tabularibus cedent. *Idem Ibidem.* Hujus autem sententiæ executio, solvitur de rebus mobilibus, juxta verum eam rūndem valorem. *P. 1. T. 134.*

4. Ad hoc autem, ut quis in poena Calumniae judicialiter convineatur; demonstrari prius debet, eum dolō, & fraude egisse: cum hæc poena sine dolo nunquam incuratur. Hinc si quis Bona quæpiam processu mediante, perpetuitatis titulō querat; deinde deposita illa actione, iure pignoris actionem moveat; *Calumniosus* aici non poterit: uti  
nec

nec ille qui penes literalia sua instrumenta, bona fide ob rehabetum suum Quartalitium, vel quodvis debitum, litem suscitat; licet deinde expeditoria absolutio, vel Quietantia adversus eundem producatur: fors quia Quietantiam illam adhuc Parens, vel Avus moderni Actoris extradedit, de quo huic non constabat, nec pars I. hoc ei prius notificavit. Si enim quacunque ratione notificata, & hoc non obstante, litem ei Actor intentasset; Calumniosus omnino fuisset. Idem sentiendum de aliis casibus, in quibus Calumnia pronunciari solet, saepe enim Hæredibus non constat de actibus Paternis, ac proinde agentes bona fide, à poena immunes esse debent argum. P. 2. T. 71. Unde clare constat bona fide agentem, Calumniantem non esse; nec Calumniatum adversus malæ fidei possessorem committi posse.

s. Calumnia in judicio probari debet literali documentō argum. P. 2. T. 70. & 71. & Kitt. C. 9. Q. 19. Quamvis etiam per humana testimonia, de jure sufficientia, probari possit: ut si creditori tuo solvisti, nec tamen syngrapham tuam, aut Quietantiam ab eo excepisti, tunc si penes tuam Syngrapham te Creditor secundū molestet dolosè, tūque testes habeas debiti persoluti; meritā

Actor ejusmodi in pœna Calumniæ condemnabitur. Postremò is, qui Calumniam exceptivè allegare vult, advertat oportet, illā post omnes alias exceptiones allegandam esse: cùm enim sit *exceptio meritoria*, non dabitur ab ea regressus ad simplices exceptiones, & responsiones, debetque cautus esse, ne in proba deficiat, sed eam in promptu habeat: secūs enim de plano, causa illi abjudicabitur. Kitt. C. 4. Q. 25. & sequentibus. Pœnam tamen 200. florenorum non incurrit, licet in proba deficiat objectæ Calumniæ, sed causam duntaxat amittit. Unde Brocardicon illud: *Calumniam allegans, & non probans, talione punitur, est verum duntaxat in sensu accommodo, seu quoad amissionem Causæ.* Nisi fortè in Tabula Regia, in Causa aliqua ardua, ob specialem dolositatem, secūs pronunciaretur.

## TITULUS XVI.

### *De Capitali sententia, & Bonis sententiationi.*

Num. I. **S**ciendum ante omnia, sententiam capitalem generalissimè sumptam, accipi pro supplicio ultimo

mo hominis, in aliquo Crimine convicti : quo sensu omnes illi dicuntur *Capitali sententia* damnari, quicunque morti adjudicantur. Et hoc sensu dicuntur P. 1. T. 15. & 16. etiam Praedones, aliique Malefactores sententiæ Capitali subjici. Aliò modò, & juri nostro *municipali* proprio, per *sententiam Capitalem* significatur plerumque eorum pœna, qui in actibus *majoris potentiae* convincuntur, & ad mortem damnantur ; ut patet ex P. 2. T. 42. ubi Capitalis sententia non nisi propter quinque Casus, seu actus majoris potentiae ferri dicitur, licet nonnunquam cum pœna *Notæ infidelitatis* ; alias cum extremo cuiusvis Malefactoris supplicio confundatur. Quare ad evitandam confusionem ; pœnam eorum, qui ob actus majoris potentiae ad mortem sententiantur, meritò vocabis *sententiam Capitalem municipalem*, eorum vero, qui propter Crimina extra Classem quinque Casuum seu majorum actuum posita, morti adjudicantur ; dices *sententiam Capitalem Criminalem*.

2. Sententiam Capitalem, propter actus majores decerni solitam, describit Kitt. C. 9. Q. s. conformiter ad Titulum 42. P. 2. quod sit illa, quæ inter, & contra Nobiles, latò modò sumptuos, sacerulares duntaxat, alienos à sanguine, Virilis sexus, in Curia Regia ratione

ratione quinque Casuum, puta ; occupatio-  
nis Bonorum , invasionis Domorum Nobili-  
um, verberationis, sine justa causa detentio-  
nis, ac interemptionis Nobilium, sub amil-  
sione Capitis, & universorum Bonorum (ju-  
re novo, vel universorum Bonorum ) modò  
tamen redemptibili ac etiam quorumlibet mo-  
bilium, ipsum solum propriè sententiationum,  
& præcisè concernientium, pronuncjari solet.  
*Ira ille.* Et hæc erat olim sententia tantum  
quinque casuum ( eò quod alii omnes, pra-  
ter Notorios, eatenus revocarentur ad actus  
minoris potentiae ) at hodie longè plurimum,  
ut patet ex dictis, ad *Titulum de Aetibus po-*  
*sentiarioribus.*

3. Dissert *sententia Emenda Capitis*, à sen-  
tentia Capitali , quod illa feratur intra , &  
contra Personas à jure determinatas, Puta ;  
Ecclesiasticas, Religiosas, sexus Muliebris, &  
Fratres generationales. P. 2. T. 42. & A.  
10. 1723. hæc vero feratur inter , & contra  
personas Nobiles. Vide de hoc plura verba  
*Emenda Capitis.* Qualis olim fuerit processus  
quinque Casuum , seu actuum majoris poten-  
tiae ; habetur *Matt. Regis D. 6. A. 16.* &  
*Ulad. D. 1. A. 56.* moderna Regni consue-  
tuine omnes tales Casus uniformiter diseun-  
tiuntur ; comparatio quoque *Parise* J. sicut ,  
& *Paris*

& Partis A. fieri potest etiam per Procurato-  
rem: ut habeat praxis.

4. Quamvis autem juxta Titulum 42. P.  
2. propter actus potentiariorum Personarum Eccle-  
siasticarum, & Fœminarum non sententiam Capi-  
talem, sed solùm emendam Capitis incurant;  
secus tamen sentiendum de Fœminis, quæ  
Parentes, Maritos, aut liberos proprios ma-  
litiosè occiderint, aut occidi fecerint: tales  
enim sententia Capitali, veluti Personarum viri-  
les, damnantur P. 2. T. 43. (& A. 6. 1625.  
vi cuius hæc poena extenditur etiam ad eas,  
quæ plures simul habent Maritos ) eò, quod  
talis Casus Notam Infidelitatis respiciat: un-  
de cum Maritidæ, Patridæ, Infantidæ,  
occisorésque Fratrum, vel Consangvineorum,  
per Articulum 11. 1723. à Notoriis sint ex-  
empti, & solùm morte castigandi; videntur  
Fœminæ, dictos Casus committentes, non  
amplius sententiam Capitalem Municipalem  
incurrere, sed criminalem: consequenter etiam  
in Bonis poenam, Titulo de Bonis Furum &c.  
expressam.

5. Capitalis sententia, universa Bona Mo-  
bilia, & immobilia convicti hominis aufert;  
non tamen simul poenam Capitalem, nisi dis-  
junctivè, juxta leges novellas Cit. infert. Et  
ubicunque reperitur sententiatus ille, semper vi-  
gores

gore literarum sententialium, per Judicem suum ordinarium, vel ejus hominem ( non tamen per Actorem propria Authoritate ) detineri, captivari, & ad manus Judicis ad infligendam pœnam assignari valebit: modò id fiat post executionem *in Bonis*; nam ante executionem, non semper, sed infra anni duntaxat unius, à die emanationis ipsorum literarum sententialium computandi revolutionem; in Persona sua detineri, & ad infligendam pœnam Judici consignari potest *P. 2<sup>o</sup>* *T. 55.* Qui si punitus fuerit, nulla postea Bonorum ipsius occupatio, per Judicem, vel Adversam Partem sequetur; sed ea omnia in legitimos ejus successores *simpliciter* devolventur, exceptis duntaxat rebus tempore captivationis apud ipsum repertis, quæ Judici manebunt. *Ibidem.*

6. Vigore sententiæ Capitalis, per *non venti-entiam*, seu non comparitionem latæ, nemo delinquentium ante literatum sententialium emanationem, sigillationem, & manibus Actoris assignationem, in Persona sua detineri potest. Imò quamvis litteræ ipsæ præ manibus Judicis extiterint, *convictus* tamen illæ tam Judicem ab extraditione, quam etiam Capitulum, aut Conventum, cui sonabunt, ab executione earundem semper inhibendi habet

bet facultatem: verum facta inhibitione, statim onus hujuscemodi sententiæ apud Judicem deponere, & ad quæsita Actoris responderet tenetur. P. 2. T. 58. in facto Capitalis sententiæ, & processu juridico, ad responsiones, & allegationes partium latæ, convictus; mox, si personaliter adfuerit, absque literis sententialibus, ad requisitionem Actoris, vel ejusdem Procuratoris, per Judicem captivari, & puniri potest; libertate Nobilitatis nihil obstante. *Ibidem.*

7. Tempore executionis latæ cuiuslibet sententiæ, ante omnia Portiones Filiorum convicti hominis, ac aliorum, quorum interest, sequestrandæ sunt; ac portio solummodo ad Personam convicti cedens, inter Judicem & adversam partem erit dividenda: id quod si tam de rebus mobilibus, quam etiam juribus possessionariis. P. 2. T. 60.

8. Si quis Nobilium tam in *Hungaria*, v. gr. quam *Dacia*, aut aliqua ex annexis Provinciis, alia Bona habens, in *octavis*, aut cæteris judiciis in *Hungaria* celebrandis, in facto majoris potentiae, & ex eo, in Capitali, aut emendæ Capitis sententia convinceretur; tunc Bona solum in *Hungaria* possessa amitteret; non autem illa, quæ in *Dacia*, aut aliis Provinciis haberet: quoniam auctoritas

cujuslibet Judicis, solummodo ad loca jurisdictio*n*is sua subjecta, se extendit. P. 2. T. 65. Aliter sentiendum de casib*us* Notoriis, inter quos c*um* Werb*oc*zius Crimen læsæ Majestatis prim*o* loc*o* ponat, proculdubio etiam de hoc exceptio intelligenda ) in quibus omnia Bona ubilibet in Terris, S. Coronæ subjectis, amittuntur: executio tamen eorumdem fieri debet per Judicem, cuius jurisdictioni subsunt. Ibidem.

9. Quamvis autem actus majoris potest, nisi interveniat homicidium, etiam processu querulo*so* requiri in Comitatu possint (uti notatum est Verbo: *Actus potentiarii N. 10.*) certum tamen est, quod non solum pro peremptione, sed etiam pro sola verberatione, vel vulneratione Nobilium, Capitalis sententia jure decerni possit. P. 3. T. 21. idque tunc, quando Actor in Curia Regia processu quinque Casuum actionem intentat, & non processu querulo*so* meræ violentiæ: ac jure quidem novo Articuli 34. 1729. vel ad admissionem Capitis, vel omnium Bonorum sub disjunctione: modò sententia Capitalis infra unius anni revolutionem, à die extraditionis litterarum sententionalium, executioni manetur: nam elapsō anno, convictus vigore eorumdem litterarum, nec in Persona, nec in re.

in rebus suis turbari, aut detineri ab Actore potest. P. 2. T. 55. sed si voluerit *ad onus sententiae deponendum contra se peremptoriè & cum insinuatione evocari facere valebit.*  
P. 2. T. 57.

10. Si *convictus & condemnatus cum suo Adversario qualitercumque concordare poterit*, id ei semper facere liceat: & pro hujusmodi concordia, *Judex nullum Birsgium*, seu solutionem ab alterutra Partium exigere possit. *Ulad. D. 1. A. 74. 1492.* Filius autem pro delictis, & excessibus Patris, & è converso; nec in Persona, nec in Possessiōnibus *condemnetur*, vel aliter puniatur. *Ibidem.*

11. *Capitali sententia condemnatus, si manus judicarias evaserit, Bona ejus occupantur; ex quibus ante omnia Actori homagium ejus persolvatur, & tertia pars Bonorum eidem assignetur, infra tempus redemptionis possidenda: demum graria Regia non de homagio, & tertia parte Bonorum Actorū cedente; sed tantum ut Capitalē pœnam Reus ipse non subeat, & de duabus Partibus Bonorum Judici cedentibus, suffragabitur.*  
P. 2. T. 43. & 57. Addit hic *Com. Syst.* quod licet in hac *capitali municipalī*, interveniente accorda, cum lege, Reus gratiā

Regiā non indigeat: in *Capitali* tamen *Criminali*, post, & penes accordam, ordinarii Magistratūs absolutio *Reo* necessaria sit, ne gratiā Regiā opus habeat.

## TITULUS XVII.

*De Casibus, in quibus Nobiles captivari possunt.*

Num. I. **Q**uamvis tanta sit *Nobilitatis Hungaricae* prærogativa, ut eā insigniti à nemine, ad ullius instantiam, aut preces, detineri, vel in Bonis damnificari possint; nisi consveto juris ordine procedatur: violatur tamen, & amittitur hæc libertas Nobilium in Causis Criminalibus, scilicet homicidio deliberato, villarum combustionē, Furtō, Rapina, Latrociniō, & violento adulterio: & universim Factum aliquod, & Causam Criminalem committen-tes, si in *flagranti*, & in ipso loco delicti comprehendi possint; sine ulla citatione, per quemcunque liberè capi, ac de cætero in Foro competenti condemnari possunt. *P. 1.* *T. 9.* Item *A. 7.* 1715. *A. 5.* 1723. *A. 6.* 1435. &c. si tamen Malefactor Nobilis ex lo-co de-

eo delicti autogerit; tunc non nisi citatus, & processu juris convictus, capi, ac puniri potest. P. 3. T. 32. & A. 16. 1659.

2. Si quis Nobilium in minori facto potentiae, 100. florenos faciente, & damnorum illatorum refusione convictus, rebus mobiliis, ac possessionariis ad portionem suam cedentibus adeo destitutus sit, ut hujusmodi 100. florenos, damnaque irrogata refundere minimè possit; tunc præmissa citatione, & latâ ordine juris sententiâ, in Persona sua per Judicem, vel ejus hominem ad id specialiter deputatum, captivari potest. Quem Judex quindecim diebus ( prout in facto debitorum fieri consuevit ) concordiaæ causâ conservabit: & si intra illum terminum cum Adversa Parte non concordaverit, manibus Adversarii sui assignabitur. Interim tamen Actor eundem in Persona sua perire non poterit; attamen apud eundem detentus, instar aliorum familiarium, Actori servire cenerbitur P. 2 T. 68.

3. Nobiles jura possessionaria, ac bona résque mobiles ad satisfaciendum de debitibus contractis, & damnis per eos illatis, non habentes, etiam in Persona sua detinentur, & ad satisfaciendum compelluntur. P. 3. T. 28. P. 2. T. 68. Matt. D. 6. A. 29. servitores

item Administratores, Provisores, officiales non completò servitiō suō, abeuntes, aut Rationes de perc ptis dare recusantes, vel non valentes; in Persona sua non obstante prærogativa Nobilitari, per Dominos suos detineri, & per Vice - Comites puniri possunt. *A. 2. 1462. & 1471. A. 65. 1622.* & horum Bonis non sufficientibus, possunt in captivitate detineri, usque ad plenam satisfactionem. *A. 6. 1435. A. 33. 1486.*

4. Huc referendi sunt Rei Criminis *laesa Majestatis*, qui sine ulla prævia citatione capi possunt juxta sensum *Articuli 7. 1715. & A. 5. 1723. 2dō.* Nobiles præter Domiciliū vix aliqua Bona habentes, & semet Prædonibus, ac publicis Malefactoribus associantes. *A. 14. 1687. 3rō.* Vagabundi Nobiles, & Residentiam certam non habentes, si sint publici Malefactores, etiam per rusticam manum capi, & per Magistratum Comitatem sem puniri possunt. *4rō.* ex Castris profugib[us] enim in fuga per quoscunque Pagorum Judices capi possunt, & foro competenti consignari. *A. 31. 1598.* Qui verò Malefactores metu Citationis, Domos suas deseruerunt; si reperiri possunt, citantur personaliter; b[us] minis ex Residentiis prioribus: & si non comparuerint, proscribuntur: possuntque de in pe-

in penes litteras proscriptionales, ubique per Regnum, & à quocunque capi: solent tamen universi hi malefactores Nobiles, dein ex vinculis citari. A. 13. 1625. & A. 38. 1655.

## TITULUS XVIII.

*De Casibus, in quibus Pater potest Filium ad Divisionem Bonorum compellere;*  
*& vicissim.*

Num. 1. **P**ater potest Filium *Puberem*: seu legitimæ ætatis, non tamen *impuberem*, ad Divisionem hæreditatum, & aliarum rerum compellere; (non tamen potest de illis cum ex-hæredare) in casibus infrà scriptis. 1<sup>mo</sup>. si Filius in Parentes manus violentas injeccerit, vel aliam aliquam gravem, & notabilem injuriam eis intulerit. 2<sup>dō</sup>. si Parentes Criminaliter accusaverit; ubi de salute Regis, aut Republicæ totius Regni non ageretur. 3<sup>tiō</sup>. si vita Parentum insidiatus fuerit; veneno nempe, vel aliò modo in necem eorum conspi-  
 rando.

rando. 4<sup>to</sup>. si cum Maleficiis, vel aliis nefandæ vitæ hominibus, contra voluntatem Patris perseveraverit, & Bona Paternæ prævè consumpserit. 5<sup>to</sup>. si Parentem captum, de manibus inimicorum, vel de carcere, cùm potuerit, noa redemit, aut liberavit, vel pro eo fide-jubere recusavit. P. 1. T. 52.

2. Intelligenda autem hæc Divisio de Bonis duntaxat Aviticis, altisque rebus, quæ ad Patrem divisione mediante à Prædecessoribus suis devolutæ sunt: non verò de iis, quas Pater ipse hereditario jure, vel aliter acquisivit. De his enim liberam disponendi habet facultatem, sensu Tituli 5. 53. & 57. P. 1. verùm cessantibus præmissis Causis, si divisio inter Patrem, & Filium facta fuerit; tunc ea indifferenter ( id est : de omnibus Bonis, & rebus Aviticis, & Acquisiticis) fieri debebit. Quoniam Pater Filio, & contra Filius Patri, quidquid rerum, & Bonorum poterit acquirere, jure naturæ teneatur. P. 1. T. 53. in fin. Vide Kit. Dub. 23. qui Titulum 57. P. 1. vi eius libera de omnibus acquisiticis disponendi datur Patri facultas; facis supérque studuit cum Titulo 53. proxime citato contemperare. Cæterum ægræ contrarietas duarum hærum legum tollitur per recursum ad jus naturale, & humanum (uti

( uti vult Com. Syst. cum Kittonies ) nisi dicatur Titulum 5. & 57. P. 1, intelligendum sub limitatione, hoc Titulo quinquagesimo tertio expressa, intra Casus nimirum, in quibus Pater potest Filium, & re ipsa cogit ad divisionem. aut fortasse dicendum est, quod hæc libertas de Acquisitis disponendi, habeat locum duntaxat ante ipsam Aviticorum divisionem, intraque easus præallegatos. sed consule præxim.

3. Econtra vero Filius ( etiam in potestate Patria constitutus ) potest Patrem ad Bonorum, & rerum divisionem cogere in sequentibus casibus. 1<sup>o</sup>. quando Pater dilapidator Bonorum existit, eaque non ex necessitate, & rationabili Causa, ab alienat; dummodo id Filio evidenter constet. sensu b. t. & Articuli 48. 1723. ubi Dilapidatoribus sequestrum imponi jubetur. 2<sup>o</sup>. Quando hereditates non debite colit, aut custodit; sed desolari permittit. 3<sup>o</sup>. Si Pater Filium sine justa Causa, impie, & crudeliter corripit. 4<sup>o</sup>. si Filium post perfectum tempus legitimæ ætatis ( id est : annorum 24. tunc censet Com. Syst. ) Matrimonium contrahere vetat. 5<sup>o</sup>. si cogeret Filium ad peccatum. P. 1. T. 53. 6<sup>o</sup>. si Filius annuente Patre, legitimam duxerit Uxorem, etiam extra paenitentias

casus potest Patrem, ritè tamen, & legiti-  
mè, ad divisionem cogere. Ubi æqualiter  
de utriusque, Patris nempe, & Filii Bonis,  
ac rebus divisio peragenda erit. Excipiun-  
tur tamen Bona, quæ Filio, jure Materno,  
seu vivente, seu decedente Matre, obvene-  
runt: hæc enim non tenerur cum Patre di-  
videre. P. 1. T. 54. Ex hac exceptione col-  
ligi posse videtur, quod etiam Bona Filii,  
aliunde, quam jure materno, per ipsum ac-  
quisita, cum Patre sint dividenda. conser-  
hæc & quæ Num. precedente diximus. Vi-  
de etiam A. 36. 1659. ubi statuitur, novas  
litteras *Acquisitionales*, de Bonis liberos ex  
priori uxori, concernentibus, cum eorundem  
præjudicio obtentas, nullius esse vigoris:  
sed juxta primævas *Acquisitionales* divisionem  
in Bonis paternis, maternisque fieri debere.

## TITULUS XIX.

*De Casibus, in quibus Per-  
sonæ Ecclesiasticæ subjacent  
sententiæ Capitali.*

Num. 1. **P**ersonæ Ecclesiasticæ, ac Spir-  
ituales, sententiæ Capitali, ut-  
tra 2-

tra amissionem Patrimoniorum, & Beneficiorum, subjiciuntur in sequentibus casibus.

1<sup>mo</sup>. si quis eorum Crimen læse Majestatis commiserit. 2<sup>do</sup>. si Nota Infidelitatis manifesta incurrerit. 3<sup>ti</sup>o. si quis ipsorum voluntarium, & deliberatum homicidium, ac latrocinium patraverit, aut perpetrari fecerit. In quibus casibus, licet *Bona Ecclesiæ*, quibus præsunt, non amittant ( nisi quatenus ea ad liberam conferentis dispositionem recidunt ) tamen privata, ac separata Patrimonia, & iura possessionaria amittere solent. Ita tamen, ut in tertio casu patrimoniorum proprietatem non perdant ; sed ea in Fratres, aut alios, jure successionis gaudentes, devolvantur : quoniam in hac parte, *caput capite compensari sufficit*. In reliquis vero duobus Casibus, *Bona patrimonialia in Fiscum Regium* recidunt. P. 2. T. 44. & P. 1. T. 15. A. 17-1715. & A. 9. 1723. ubi lex novella vult, conformiter ad antiquas, in Casu Notæ Infidelitatis, portionem Fratrum Innocentum, & cum Delinquentे indivisorum, in salvo permanere.

2. In cæteris autem Causis, & Casibus, Personæ spiritualis contra sacerdalem, & viçissim secularis adversus spiritualem, æqualē pœnæ subjacet; *Emenda scilicet Capit. vel*

*Homagii*, atque Damnorum illatorum refusio-  
ni. P. 2. T. 43. & 44. Ubi Nota, sacerdalem,  
si Personam spiritualem verberet, trahi ad *sar-  
cram sedem*, & ibidem Excommunicationi  
subjici. *Matt.* D. 1. A. 3. item D. 2. A. 17.  
in foro autem sacerdotali, non nisi in sententia  
Emendæ capitis, eundem convinci posse. Ut  
patet ex *b. t.* & *Ulad.* D. 7. A. 32. Idem  
cum proportione sentiendum de *Mulieribus*,  
sensu *Kitt.* C. 9. Q. 13. Item T. 42. P. 2.  
A. 10. 1723.

3. Sciendum ulterius, quoties jura nostra  
pœnam corporalem Clerico infligendam sta-  
tuunt; semper intelligenda esse: *præmissâ e-  
jusmodi Personæ degradatione*, per quam sci-  
licet, Clericus statu suo, privilegiô *Fori*, &  
*Canonis*, cæterisque suis prærogativis spolia-  
tur. *Prolog.* T. 9. in *Princ.* Hinc est, quod  
saltem de moderna Patriæ nostræ consuetu-  
dine, ob quamcunque *violentiam*, actumque  
*potentiarium*, Clericus ad Forum potius Ec-  
clesiasticum, quam sacerdale evocari soleat:  
præsertim si agatur de pœna corporali, seu  
in personalibus. Et quamvis Actor eum per  
Judices sacerdtales in jus vocari postulet; itâ  
tamen communiter citatoriis abstinent, & Re-  
um Episcopo, aut ejus Generali Vicario de-  
nunciant, qui servatis de jure servandis, com-  
peten-

petentem impedit satisfactionem. Et istud quidem sit conformiter ad D. i. C. s. 6. & 14. Colom. Reg. ubi Clerici non nisi per Prælatorum suorum sigilla, in jus vocandi decernuntur. Hinc quamvis Ecclesiastici, ac Nobiles sæculares eodem juris processu in Bonorum suorum administratione utantur P. i. T. 2. non tamen in Personalibus: cùm quoad ista etiam in Hungaria, Privilegium *Canonis*, & *Forti* vim suam obtineat. Imò nec tenetur Episcopus Clericum, licet jam degradatum, potestati sæculari tradere, ac eriam non præmissa degradatione, potest pœnam mortis in perpetuos, vel temporales carceres commutare. *Glos.* in c. i. de *Hereticis* in 6. l. II. ff. de pœnis.

Bona porro Clerici degradati, & morte affecti mobilia, & immobilia *Acquisita*, si prævenerunt ex fructibus Bonorum Ecclesiasticorum, vel intuitu, & ex functionibus statutis Ecclesiastici; pro Ecclesia remanere debent, si vero ex Patrimonialibus; tunc, nisi de iis disponat, P. i. T. s. unà cum radice amittuntur, & vel Fisco Regio, vel cognatis ejus, pro diversitate patrati Criminis applicantur. h. r.

4. *Quær.* utrum in tertio Casu, ubi dicuntur: si quis ipsorum deliberatum homicidium,

ac Lai:re-

ac Latrocinium patraverit: ly Ac copulativè; an disjunctivè seu pro vel accipiendum sit: ita ut sufficiat in ordine ad subeundam pœnam Capitalem, homicidium, vel Latrocinium prætè seorsim; an vero sit necesse utrumque, nempe & homicidium, & simul latrocinium commisisse? R. Commissionem Syst: existimare, pro ac, seu et ponendum esse vel: consequenter, satis esse, alterutrum perpetrasse. Quæ opinio liquidem subsistit; nescio qua ratione combinatorius sit Titulus 44. P. 2. cum Titulo 42. ejusdem Partis, vel etiam cum Articulo 10. 1723. in quibus habetur clarissimè, Personas Ecclesiasticas, seu Spirituales, ob actus majoris potentie ( inter quos etiam homicidium continetur ) à sententia capituli esse immunes, & non nisi sententiae Emen-de capitum subjacere. Ac per consequens, ad salvandam hanc legum contrarietatem, dicendum potius esset, in 3to Casu hic Numero 1mō adducto, non intelligi qualemque homicidium, sed cum latrociniis coniunctum: præsertim cùm odiosa, juxta omnem legem Canonicam, & Civilem, sint restringenda; & in penalibus non sit facienda extensio, etiam ob identitatem rationis. Nisi quis dicere malit, Titulum 42. P. 2. non esse intelligendum de eo casu, in quo factus potest

tiarius, homicidium involvit: verum tunc sequendam esse egem universalem A. 82. 1492. expressam; vi cuius statuitur, ut homicidium deliberatum patrans, cujuscunque statūs, & preeminentia existat, omni redemptione semota, interficiatur. idem habetur A. 38. 1563. cæterū notandum est axioma iuridicum: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. &: exceptio firmat regulam in contrarium.

## TITULUS XX. De Civitatibus liberis.

Num. I.

**C**ivitatum Liberarum aliæ sub-  
sunt jurisdictioni Personalis  
Præsentiae Regiae Majestatis;  
ut Alba-Regalis, Strigonium, Leuchovia, Ci-  
binium, Trenchinium, Varasdinum, Crisium,  
Caproncza, Segnia, Cremnicium, Schemni-  
cium, Neosolium, Veterosolium, aliæque  
Civitates Montanæ; Item Késmárk, Rúzst,  
Bazinium, & Sanctus Georgius. Aliæ juris-  
dictioni Magistri Tavernicorum Regalium;  
sicut Buda, Pest, Cassovia, Posonium, Tyr-  
navia, Sopronium, Bartfa, Eperjes, Szegedi-  
um, Szakolcza, Zagrabia, Carpona, Mo-  
dra,

dra, Ginsium, Kis-Martonium, Debrecinum, & Szatmár-Németi. P. 3. T. 8.

2. Quarum Civitatum Cives, in eorum homagiis, Nobilibus Regni hujus æquiparantur: non tamen in aliis libertatibus & privilegiis; nisi sint quoad Personam suam Nobiles. Nam neque testimonia ipsorum extra Civitates, & Territoria sua, penes Nobiles acceptantur; neque pro damnorum, aut debitorum recuperatione, extra Civitatem, singilladim ultra unum florenum jurare permittuntur. P. 3. T. 9. sed hæc antiquo jure: hodie enim, in quibusunque Causis, ad serendum testimonium admittuntur, & penes Mandatum Compulsorium examinantur. *Praxis.* Habent liberam, Judices, Consules, aliisque officiales Magistratuales eligendi potestatem; quorum judiciorum omnes causæ ipsorum contra invicem; & aliorum etiam extenorum, contra ipsos motæ dirimantur, & terminentur: à quibus Judicibus, viâ appellationis, ad Magistrum Tavernicorum transmittuntur. P. 3. T. 10. vide Num. 2dum de *appellationibus.* hæc electionis libertas confirmatur per A. 36. 1715.

3. Quod Novum Judicium attinet, eadem juris dispositiones etiam à Judicibus Civilibus, & causantibus observari debent proportiona-

tionaliter, quæ inter Nobiles: nisi quod Ci-  
ves Mandatum Novi Judicii ( prout etiam  
aliud quocunque Processuale ) non ab aliis  
Judicibus Regni ordinariis; sed vel à Regia  
Majestate, vel à Magistro, aut Vice-Magistro  
Tavernicorum debeant impetrare. De quo  
vide ea, quæ diximus verbo: de Appellatio-  
nibus, à num. 2dō. usque ad 6. Porro si in  
processu Causarum Civilium, ante, vel post  
remissionem Appellationis, verba, ac respon-  
siones Procuratorum necessarium fuerit revo-  
care, tunc consuetudo ejusdem sedis judicia-  
riæ, in qua responsio facta fuit, observari de-  
bet P. 3. T. II.

4. In Causis Hæreditatum, & rerum im-  
mobilium, coram Magistratu Civicò motis,  
nullus extraneus coram ipsis in testimonium  
acceptatur ( nisi fors *Talis aliquando in ea Ci-*  
*vitate habitasset, reique controversæ notitiam*  
*babere dignosceretur, aut penes Mandatum*  
*Compulsorium examinaretur* ) secùs est in cau-  
sa debitorum, & aliorum quorumvis factorum  
ac negotiorum, extra Territorium Civicum  
gestorum, in quibus nemo bonæ famæ à te-  
stificando excluditur. P. 3. T. 12. Fassio  
( Servatis quoad Admonitionem erga Con-  
sanguineos, & Vicinos, servandis ) coram Ju-  
dice, aut duobus juratis, Cjvibus, ratione  
quæ

quarumcunque rerum, sive mobilium, sive immobilium in eorum Territorio existentium facta; semper est firma. P. 3. T. 3. Quamquam juxta Praxim, Fassio coram solo Judice, aut solo Consule facta, non teneat: sed debeat peragi vel coram duobus Juratis Civibus sine Judice, vel coram iisdem, & Judice. Ceterum videndae sunt consuetudines cuiusvis Civitatis. Nec valet alia Fassio inter Cives, super hujusmodi rebus, coram aliis Judicibus Regni, vel in locis Testimonialibus, jure perennali (aut etiam pignoratio, juxta Prax.) celebrata. Ibidem.

5. Emptor quarumpiam hereditatum, puta Domorum, Hortorum &c. Dominium ingredi, & apprehendere debet coram duobus juratis Civibus ad id à Judice deputatis. Et si quis fuerit Contradictor, intra 15. dies contradictionis suæ rationem coram Judice, & juratis Civibus, assignare tenetur: ad id per Introductores, statim post interpositam contradictionem, evocandus. Contradicte autem, in facie loci venditi, non apparente, Emptor Dominium securè ingreditur. Et si quispiam aliquid juris ad apprehensam hereditatem se habere speraverit; intra unum annum, & diem, ab introductione compungandum, palam. vel osculte contradicere potest:

test: non autem post istud tempus. *Palam contradixisse censebitur, si Possessorem in Causam propterea convenerit: occulte vero; si coram Judice, vel juratis Civibus prohibitions legitimas faciat, & ad Librum Civitatis annotari curet.* P. 3. T. 14. si tamen Possessor talium Bonorum se vexari per hoc advertat; potest contradictem, ad dandam contradictionis rationem, in jus vocare. *Nobiles possessionati, etiam in locis credilibus, & aliis sufficientibus, possunt de Bonis Civilibus testari: Impossessionati vero, extra necessitatem, more Civium testari debent cum Magistratu, vel aliis Civibus.* A. 46. 1655.

6. Licet Civitatenses, duodecim annorum surritulis praescribi, & praescribere deberent; nunc tamen abusu, legis naturam induente, more Villanorum, spatiō unius anni, & dies praescribunt. P. 3 T. 15. id quod intelligendum etiam est de Nobilibus, & Extraneis quibuscumque contra Civem in Bonis Civilibus. Eam ob rem Contradictor semper debet infra annum, & diem renovare suam contradictionem: si vero Judex ejus contradictionem, & prohibitionem in Protocollum annotare, & litteras prohibitorias dare recusaret; nunc poterit contra eum coram Judicibus

Regni ordinariis, vel etiam locis Testimonialibus, liberè protestari; litterasque Testimoniales super protestatione sua, authenticè extrahere. P. 3. T. 15. si quis autem hæreditatem in medio Civium cum pertinentiis, putà, cum omnibus quæ ad eam jute, vel consuetudine pertinent, emerit; sufficit, rem illam corporalem apprehendere: nisi de pertinentiis *specificè* fuerit aliquid exceptum. P. 3. T. 16.

7. Si quis Civium, occasione debitorum, in litem tractus fuerit, & nulla probatio in eum per Actorem produci poterit; tunc Civis ille juramentò solius personæ suæ se expurgabit. P. 3. T. 17. vide verbō: *de Debitis*. Cives, in Territoriis aliorum, hæreditates habentes, ratione proventuum, Dominis Terrestribus de talibus Bonis provenientium, *invitis* eisdem à solutione proventuum talium eximi non possunt: imò in sede eorundem Dominali, occasione dictarum hæreditatum querulantibus, juri parendum erit. P. 3. T. 18. Item Civitates quælibet, ratione jurium possessionariorum, ad instar Nobilium, judicati Judicum Regni ordinariorum obtemperare tenentur: & si de hujusmodi juribus eorum possessionariis Damna, & nocumenta violenter Nobilibus, vel eorum

rum subditis inferuntur; tunc ratione talium  
 actuum potentiarum, Judex, & jura i Ci-  
 ves, unà cum Communitate, per partem lœ-  
 sam possunt in Curiam Regiam evocari, vel  
 in sedem judicariam illius Comitatus, in quo  
 bona illa adjacent. Si autem Nobilis quispi-  
 am, vel *Possessionatus*, contra totam Civita-  
 tem, vel è contra Civitas ipsa contra No-  
 biles, & alios *Possessionatos* homines, Causam  
 aliquam, ratione actuum *majoris potentiae*,  
 vel juris possessionarji movere vellet; ex tunc  
 talis Causa coram Personalii Præsenzia Regiae  
 Majestatis moveatur: ubi Pars, ratione juris  
 possessionarii, convicta; non majori onere,  
 quam in 200. flor. auri teneatur. Si Civitas  
 e jusmodi, aut Civis nulla jura possisionaria  
 in aliquo Comitatu habuerit ( nam si Bona  
 habeat, & ex illis Nobilem lœserit in facto  
*minoris potentiae*; judicium recipere debet à  
 Comite ejusdem Comitatus ) & Nobilis, vel  
 alius *Possessionatus*, contra privatum Civem,  
 & non contra totam Civitatem, causam ha-  
 buerit; ex tunc talis causa coram Magistratu  
 Civico agitari debet. P. 3. T. 19. Animad-  
 vertendum hic ad Articulum 81. 1647. ubi  
 statuitur, ut pro actibus, & violentiis qui-  
 buscunque, sive intrà, sive extra Mœnia, pes  
 Civitatis, contra Nobiles, eorumque homi-  
 nes

nes patratis, non solum Civitas, vel Senatus (uti A. 60. 1618. sanctum) nomine collectivo, sed insuper Cives quoque, & subditi ipsorum, talis facti Patratores, & complices, seorsim in Comitatu convinci possint salvâ tamen octavali quoque pro itâ volentibus, iuxta T. 19. P. 3. prosecutione permanente.

8. Fures, & alios publicos Malefactores intrâ Territorium suum comprehensos, juxta eorum demerita, servatis de jure servandis, punire possunt, non verò *mulilare quemquam*: Nobiles verò, extra locum delicti, nec captivare, nec ob suspicionem, torturæ subjicere possunt. Si enim Civitas aliqua Nobilem, sine justa causa morti traderet; tunc Judex duntaxat, & jurati Cives sententiâ Capitali ferirentur. P. 3. T. 20. nullus Civium, & inhabitatorum alicujus Civitatis, à collectis, & contributionibus Regalibus eximi potest sub mulcta 12. *Marcarum Argenti*. Et si Rex quempiam eximeret, tunc contributionum illarum defalcatio à Rege recipi debet. Sigis. D. 2. A. 10. Civitates Colonum quempiam abducentes, vel fugitivum recipientes, si per Judicem Nobilium, & alios quatuor Nobiles eidem adjunctos requisiti, restituere nollent; *totes quoties in*

200. flor. & homagio talis Coloni teneantur  
 A. 29. 1514. Statutum etiam est, ne Dominis, & Nobilibus in medio ipsorum Domos emere volentibus, ulla impedimenta ponant: vel ab ipsis *Reversales extorquent*, neque eos, qui jam pridem Domos possident majoribus, quam suos Cives; sed nec ipsos Cives nimiis, ac evidentes necessitates longe superantibus, onerent impositionibus A. 21.  
 1635. Et quoties Domum, vel quid aliud emere volentes turbaverint; toties in 2000.  
 flor. Ungaricalibus, Fisco applicandis, convin-  
 cantur. arg. A. 62. 1563.

9. Inducere porrò vinum, & frumentum, ubilibet procreatū, ejusmodi *Dominis*, & *Nobilibus*, invehērēque ad usum domesticum, non secūs, ac ipsis Civibus, liberum esto: ita tamen, ut & ipsi onera, & contributiones præstent; ac ratione Bonorum Ci-  
 vilium, & Domorum; nec non debitorum, ibidem apud concives contractorum, coram Magistratu Civili respondere debeant: quibus præstitis, in Bona, ac Personas illorum nullam exerceant jurisdictionem. 1635. A. 21.  
 Bona Civitatum, quæ juxta A. 33. 1542. nunquam ad *Fiscum Regium* devolvuntur, per quoscunque impetrantur; impetrata, pro non imperialis habentur. 1638. A. 35. Jun

dex Montanarum Civicatum, est Personam  
*Præsentia Regiae Majestatis*; & qui eos ad  
incompetentes Judices in causam traxerit,  
pœnam Calumniæ incurrit, sententiæque e-  
jusmodi Judicium, nullas sint vigoris. Imo,  
si qui ex prædictis Civitatibus, ad extranea  
*Tribunalia* consugerint; præter perpetuam  
*cause* amissionem, in homagio conviacauntur.  
*A. 25. 1622. A. 28. 1630.*

10. Cæterum de Processibus Ci-  
vitatensi-  
bus, consulendum est jus *Tavernicale* ( in  
ordine ad Civitates Magistro Tavernicorum  
subjectas ) ac legitimæ cujasvis Civitatis  
*consuetudines*; quæ nonnunquam, licet juri  
*communi* difformes, vigore tamen non ca-  
rent. Istud notandum, quod si *Judex*, vel  
aliqui *Senotorum* in aliqua *Cause* sint inter-  
essati; loco eorum, alii non interessati, ju-  
rati *Cives*, sunt constituendi. *A. 53. 1659.*

*A. 77. 1715. Privilegia Civium contine-  
ntur Articulis 27. 1618. & 22. 25. 43. 1625.*

3. 1723. & aliis quibusdam, inter quæ Pri-  
vilegia sunt; quod unus ob alterius debitum  
non possit arrestari, nec in Persona, nec in  
rebus: quod à solutione Teloniorum sint  
immunes; nec Triceliam solvant de re-  
bus, in usum proprium inductis.

## TITULUS XXI.

## De Clausula: Nil Juris.

Num. 1. **S**i Clausula: nullum Jus, nullam-  
ve Juris, & Dominii proprie-  
tatem pro se reservando, &c.  
seu scienter, seu ignoranter litteris Fassiona-  
libus inserta fuerit; tunc excludit omnem Fa-  
tentis jurisdictionem: ita ut nunquam talia  
Bona, Juraque possessionaria, etiam defici-  
ente Fassionario, ad ipsum; sed ad collatio-  
nem Regiam recidant.

2. Secus dicendum, si praedicta *Clausula*  
inserta non sit. Tunc enim, tam in mutua, &  
concambiali Bonorum permutatione, aut alia  
perennali collatione; quam in quacunque ra-  
tionabili *Donatione*, *Inscriptione*, vel *obligatione*;  
Fassionario, Hæredibus, & legitimis  
successoribus destituto, non Rex, sed Fatens,  
vel ejus Hæredes succedunt; Bonaque per  
Fassionem abalienata, iterum recuperant.

P. I. T. 69. ubi ratio assignatur: quia inser-  
ta Fassionalibus illâ *Clausula*; non retinetur  
Jus proprietatis, & successionis: retinetur au-  
tem, si Clausula illa inserta non sit.

TITU-

# TITULUS XXII.

## De Concambio.

Num. I.

**C**oncambium, sive concambialis Bonorum permutatio, est Jurium possessionariorum inter duas, vel plures partes reciproca commutatio, & legitima translatio. Quilibet possessio-  
natus homo, de Bonis, & Juribus suis posses-  
sionariis, Concambium sibi utile, jure, ac li-  
berè facere potest; contradictione Filiorum,  
ac Filiarum, vel Fratrum suorum, non ob-  
stante. Ità tamen, ut portio in Concambi-  
um data, non secùs ad eos devolvatur; q-  
uam priora, si retenta fuissent. P. I. T. 70.  
Si tamen fraudulenter in præjudicium successo-  
rum Cambiatio facta fuerit; mox ad instan-  
tiā ipsorum, præmissa legitima evocatione,  
in unico termino, juxta valorem *Communis  
Estimationis*, Bona ejusmodi, *Deceptis*, per  
Judicem, restituī debent. P. I. T. 71. Idem  
videtur intelligendum de B. nis, utique se-  
zui deservientibus, etiam respectu Filiarum.  
An autem hujusmodi Bona, *communi estima-  
tione* mediante, an simpliciter hodie restituenda  
sit; consulenda Tribunalum *Praxis*. Por-

rd fraudulenter Cambiatio celebratur; quando quis concambium Fassionalibus inserit, dum interim occulte emptionem celebrat, aut venditionem: ad decipiendos scilicet, & exhaeredandos Fratres. Cæterum *fraus*, & *dolus nemini patrocinatur.* P. 2. T. 83.

2. Si tamen Filii, aut Fratres ejusmodi Concambio sibi præjudicante, scienter, & lìne juridica reclamazione, vel prohibitione, usi fuerint, fructumque Bonorum permutterum realem percepient; postea illud retractare non valebunt: cum usus realis, in hac parte *vim cessionis, consensusque habeat.* P. 1. T. 72. contrarium videtur sentiendum de Pu-pillis: quibus, quandocunque demum ad legitimam ætatem pervenerint, reclamatio semper opitulari debet arg. P. 1. T. 129. sufficit autem, si reclamatio ejusmodi successorum, intrà annum ab apprehensione successionis computatum, interponatur: cum non per usum cuiuscunque, sed longioris duntaxat temporis, consensus argui debeat. *Kitt. D. 29.*

3. Si Bona per Cambium acquisita, antea non erant utriusque sexus, nec post cambium erunt: licet aliqua pecunia, ad compensandam inæqualitatem, adjecta fuisset. Feminæ tamen ex tali pecunia portionem suam rehabetbunt. Secus dicendum, si Bona etiam

ante Cambium erant utriusque sexūs. P. I.  
 T. 73. & quamvis Bona Cambia iter obtenta,  
 pritis non fuissent juris fœminei ; si ta-  
 men illa, quæ pro his data sunt, sequeban-  
 tur utrumque sexum ; etiam obtenta sequen-  
 tur. Cambium enim naturam Cambiati redo-  
 let. argum. hujus Tituli, & T. 70. P. I.  
 ubi dicitur, portionem per Cambium acqui-  
 sicut, succedere portioni ab alienatæ, etiam  
 quoad ius successionis. In Cambio prout quis  
*Evictionem* assumpserit ; ita etiam tenebitur  
 respondere. P. I. T. 74. omnis quippe Contra-  
 itus à conditione legem accipit.

## TITULUS XXIII.

### *De cognitione falsarum Litterarum.*

Num. I. **I**N cognitione falsarum litterarum,  
 earumque à veris distinctione,  
 maxime attenduntur sequentia,  
 aempe: *Datum*; scilicet ubi? vel quando?  
*Dies*, & *Annus*: forcè enim *Dator* Littera-  
 rum, eō Die, vel Anno jam non erat in vi-  
 vis, aut alibi morata ut. Item sigilli impres-  
 sio, vel appensio, ac circumferentia ejusdem,  
 & s[ic]

& *superscriptio*; an non fortè illud noviter sit appensum, vel impressum. Hoc tamen tantum, quod litteræ bono modō confectæ, semper valeant; et si propter vetustatem sigilli sint destructa, aut propter malam impressionem minus nocibilia: modo locus eorum, & circumferentia, item scriptura ipsa bene appareat. P. 2. T. 17. Notanda item in nominibus, & cognominibus Personarum, ac possessionum in iisdem expressarum abrasio, & cancellatio. *Ibidem.* Attendi etiam debet signum, v. gr. *Leonis*, *Borri* &c. Chartæ, dum conficeretur impressum: qua unicā observatione, Procurator quidam multorum mille flo. instrumenti falsitatem nuper detectus, probando; tunc nondum cœpisse fieri chartam cum insignibus hujus, vel illius Familiæ. præterea attendatur atramenti, aut characterum diversitas: novæ scripturæ insertione in fine instrumenti, correctæ non appositiæ, aliaque similia, ex quibus litterarum falsitas facile detegitur. Hinc patet, non facile dandas esse chartas alias, seu Chartobiancas, quas facile debitores falsificare posseunt. vide T. 14. P. 1. vi cuius, hujusmodi *Falsarii* olim incurabant Notam Infidelitatis; hodie pœnâ Mortis puniuntur, si penes falsas literas, aut sigilla, vitæ alterius: aut

aut vitæ simul, & Bonis insidientur A. 11.  
1723. si verò solis Bonis; tunc, præter re-  
fusionem damnorum, & expensarum, infamia  
notantur A. 12. 1723.

2. Passualium autem, vel missilium Littera-  
rum in Casibus levioribus Falsi Confectores,  
vel talibus scienter utentes, puniendi sunt  
ad arbitrium Tabulæ Regiæ, Comitatūs, vel  
Magistratūs Civici. *Ibidem.* Qui verò pri-  
vatas, & missiles alterius litteras intercipit,  
resignat, seu aperit, violat, detinet, aut sup-  
primit; in 100. flor. instar liquidii debiti per  
Judicem suum competentem defumendis ca-  
stigatur. A. 59. 1723. Excipe casum, quò  
id per errorem sine injuria alterius, vel ju-  
stæ defensionis titulō fieret.

## TITULUS XXIV.

### *De condescensione Causarum.*

Num. 1. **S**tatutum est, ut causantes, non  
nisi lite pendente, & Causa non-  
dum decisâ, Procuratores re-  
vocare, & Causam condescendi facere pos-  
sint: neque vigore novi judicij partem alte-  
ram ab executione latæ sententiae inhibere  
valeant. P. 2. 7. 77. Quamvis autem Con-  
descensio

descensio in variis significationibus usurpetur, significetque frequenter idem, ac Exceptio; prout tamen est hujus loci, definit illam Kit. C. 4. Q. 10. quod sit simplex solummodo Causæ, in priorem statum regressio, nihil planè alterutri Parti adjudicando, vel abjudicando.

2. Fit autem condescensio duobus modis 1<sup>o</sup>. per *Judicem*, quando scilicet is, perletta actione, & acquisitione Actoris, atque evocatione inde subssecuta benè calculata, viuum aliquod ejusmodi deprehendit; propter quod sententiam pronunciare non possit. Puta; quia non denotatur Villa, sive Possessio acquisita, in quo Comitatu, vel loco sic cùm sèpè plures ejusdem nominis Villæ in diversis Comitatibus adjaceant. Ubi observa, hanc exceptionem allegari debere ab Incatto; *Judex enim de se opponens, simul & iudicans fieri nequit.* 2<sup>o</sup>. Causarum Condescensio, vel depositio fit per *Actorem*, cum onere sex *Marcarum* levis ponderis, in duabus Judici (comam quo lis mota est) in tertia vero partibus, in causam attracto persolvendarum: dum nempe Actor, ex aliquo errore, sibi perniciose cognito actionem suam, ac præventionem sponte deserit. P. 2. T. 82.

3. Debet autem fieri Causæ condescensio,

ante latam sententiam finalē, non autem ante interlocutoriam: post hanc enim sēpē admittitur cum onere prædictarum sex Marcarum P. 2. T. 83. nisi fiat cum manifesto præjudicio, & damno Incerti. Hodie in Causis pœnæ Calumniæ obnoxiiis, depositio Causæ admittitur, ante documentorum, finalē Causæ decisionem tangentium, productionem: per Art. 40. 1729. sensu pariter A. 23. 1547. in actibus autem violentiarum pœnæ indebitæ actionis obnoxiiis admittitur solum; antequam Adversarius infligendam Actori pœnam indebitæ actionis petat. Cit. Art. 40. Causa deponitur in Tabula Regia, & Districtilibus, cum onere 6. florenorum: in Foro Viceceſano, sede Judiciarja Comitatus, vel etiam in partibus; uti & coram Magistratu Civili, cum onere trium florenorum: sive de in Causa totaliter deponatur, sive in Parte. Ibidem. Ubi statuitur, ut si quis Adversario jam pro termino comparente Causam deponeat; expensas per ipsum à motione litis, eatus causas (præhabita illarum coram eodem Judice Liquidatione) præviè Patti I refundat. Secùs enim depositio non admittitur. A. 40. 1729. Actor, nisi in prima instantia causam condescendi fecerit, postmodum secuto processu, ab incepta lice se subtrahere

trahere non potest : alioquin in onere actionis indebitæ convincetur. A. 23. 1547.

4. Alia est Condescensio Causæ , seu depositio *Judicialis*, quæ in judicio : alia *Extrajudicialis*, quæ coram Judge quidem causæ ; extra locum tamen , vel tempus judicij instituitur : potestque fieri utraque, cum recessito supra onere. Multa hic quidam de *Exceptionibus* ; quæ afferre nec ratio compendii patitur , nec utilitas syadet : cum fontes Exceptionum plerosque omnes suis locis proponamus : illæ enim peti solent vel ab *incompetentia* Judicis, ac fori, vel ab *errore* in Citationibus observato ; vel ab *insufficientia* testificantis ; vel ab illegali ad comparendum temporis brevitate , aliisque similibus , causam vel differentibus, vel omnino in perpetuum tollentibus.

## TITULUS XXV. De Consensu Regio.

**C**onsensus Regius, est jurisdictionis S. Coronæ in Bonis, & juribus possessionariis, ad eam modò successoriō devolvendis, spontanea per Regem cessio: fitque in Bonis, in semine , Hæredib⁹que defientium, vel ad uni-

unicam, & singularem Personam, defactui seminis appropinquante m redactis P. i. T. 64 Fassio, cui Rex consensum Regium præbuit, verbotenus in ipsis litteris consensualibus inseri debet: alioquin consensus erit invalidus. P. i. T. 35. Fassiones autem consensu Regio indigentes ( de quibus vide verbo: *Fassio* ) post impetratorem ipsius consensus, intrà revolutionem unius anni, statutio legitima roborari debent P. i. T. 63. Quod intellige de casu, in quo *Fassionarius* extra dominium ipsorum Bonorum extulit; item quando Fassio est de præsenti, & non sub aliqua conditione de futuro: tunc enim non nisi à tempore purificatæ conditionis annua revolutio erit computanda. Nisi forte in Bonis fassionalibus *jus Regium* lateret, aut simul cum consensu impetratum esset; hoc enim casu statutio super jure Regio intrà annum subsequi debet. *Ibidem*. Et P. i. T. 66. De differentia consensus Regii à jure Regio vide *Kitt. D. 9. & 31.* sic autem introductio Fassionarii in possessionem, per clausulam ( per manus dedit, tradidit, & affixavit ) fassionalibus inseri solitam.

TITU-

## TITULUS XXVI.

De Conservatore Litterali-  
um Instrumentorum.

Num. 1. **L**itteralia instrumenta, factum Bonorum possessionariorum tangentia, non Filia, sed Filius naturalis maximus, licet sorore junior, conservat: modo non sit, immo. furiosus, vel amens, 2dō. Dissipator Bonorum suorum manifestus. 3tiō. vel ceteros Fratres suos, de Bonis Paternis, vel etiam suis ( vice infra n. 5. ) exhaeredare palam non pretenderit. His enim casibus, alteri ex Fratribus naturali proximo, & ad lineam generationis Paterna propinquiori, conservatio litterarum assignanda. P. I. T. 42. Idem videtur de Filiabus, ac Sororibus, in defectu Fratrum, intelligendum.

2. Filiæ vero Transumptum, seu paria litterarum Bona utriusque sexui deservientia tangentium ( si secus Fratres dare nollent ) coram judicibus Regni ordinariis acquirere possunt. *Ibidem.* Cujus ratio est, ut juribus suis invigilare possint. Quare propter rationis paritatem, idem Transumptum, etiam aliis Fratribus dandum videtur. vide *Kitt.* Dub. 17.

3. Quantum ad transumptiones litterarum, istud hoc loco Notandum: quod si Pars altera oppugnet in judicio transumpta, quae simpliciter & absolute in Capitulis, aut Conventionibus, vel etiam coram Judicibus Regni ordinariis sunt facta; quod inquam tali Casu eadem transumpta non teneant; nisi simul litterae originales exhibeantur P. 2. T. 15. Ulad. D. 1. A. 96. Excipe Casum, quo Transumptiones litterarum, aut in Tabula Regia, in judicio contradictorio inter litigantes; aut coram Judicibus ordinariis, in terminis octavalibus fierent; vel quando in Bonorum inter Fratres divisione, vel aliter coram iisdem Judicibus, de litterarum conservatione agitur, ibique litterae transumuntur. Locis eitt. vide de his plura verbo: *Transumptio litterarum.*

4. Prosecutio litium, infra tempus divisionis motarum, ad conservatorem litterarum spectat; communii tamen sumptu. Qui licet ad prosequendas causas, & defendenda jura communia, sensu Tituli 34. P. 2. & P. 1. T. 42. authorizatus, nec Procuratoriis litteris Fratrum indivisorum, etiam minorennum cogeat; in causis tamen communibus contra eosdem motis, prout citati fuerint, ita & comparere tenebuntur: & in violentiis, quod Person;

Personaliter, vel per expressam commissionem excesserunt; tunc Fratres Birsagia supportare debebunt. *Com. Syst.* quæ notat hic plura, sed quia nec habent vim *nova legis*, nec *venturis rationes continent*, de industria prætermittimus.

5. De *Fratribus universim*; Nota compendiò sequentia: 1<sup>o</sup>. Frater in Bonis indivisis non amittit portionem suam, vigore sententiæ, contra Fratrem latæ. *P. 2. T. 60.* 2<sup>o</sup>. Bona ante divisionem inventa, æqualiter inter Fratres dividuntur. Hinc licet unus Fratrum suis servitiis à Rege, vel etiam alii Bona imperaverit; si tamen nomina Fratrum suorum litteris donationalibus inseri procuravit, cum *clausula*: *per Eum &c.* tempore divisionis ( nisi ante divisionem, quod licet potest, ea realiter à se abalienasset ) reliqui Fratres perinde ex illis Bonis portionem suam jure habere possunt: nisi aliter in ipsis litteris fuerit declaratum. Fratres enim indivisi, infra divisionis tempus, & lucrum, & damnum æqualiter participare debent. *P. 1. T. 43. & 40.* item *A. 54. 1655.* ubi hæc lucri, & damni participatio restringitur ad solos Fratres carnales, & Uterinos indivisos: Quibus omnibus derogat *Articulus 47. 1723.* ubi datur facultas Fratri *Acquirenti*, non nisi

talia Bona, quæ ex fructibus Bonorum Avitiorum, Paternorum, vel Maternorum acquisita fuissent, inter suos Fratres, aut Sorores condivisionales, divisioni submittendi: reliqua verò aliis viis parta, penes portionem de Aviticis, eorumque fructibus sibi obvenientem, pro se retinendi. Quare immutata etiam est dispositio *Tituli* 44. P. 1. vi cuius Frater debebat renunciare Aviticis, si Bona acquisita pro se reservare vellent: uti & exceptionis, hic *Num. Imō*, tertio loco allatæ. *3tiō*. Bona post divisionem per aliquem Fratrum acquisita ( si nempe acquisitionis fuit per collationem Regiam purè propter fidelia servitia ) ipso deficiente, non ad Fratres divisos, sed ad Regem devolvuntur: nisi *Acquisitionalibus* etiam Fratrum nomina fuissent inserta. P. 1. T. 50. A. 26. 1715. *4tō*. In depositione juramenti, cum Fratres indivisi contra sexum foemineum litteras producunt, Frater major, & Litterarum conservator præfertur cæteris. P. 2. T. 44. vide verbo: *Divisio Bonorum*. multa enim, quæ illi loco propria erant, huc retulimus; & vicissim: id quod in pluribus aliis *Titulis*, ob materiæ paritatem, facere cogimur.

TITU-

## TITULUS XXVII.

## De Concordia Litigantium.

Num. 1. **L** Itigantes quandocunque, & in quibuscunque factis potentiaris, aliisque omnibus causis liberam semper habent concordandi facultatem, idque absque omni etiam Judicum requisitione, ac solutione Birsgiorum. *Alt.*

*A. 31. 1439. Ulad. D. 1. 1492. A. 68.* quibus abrogatus est *Articulus 24. 1351.* ubi pro judicio pacis, 3. Marcæ exigebantur. Hæc tamen intellige in casu, quò *Partes ante executionem concordaverint*: nam si id faciant post executionem, Birsgium per Juges exigi potest. *Ulad. D. 2. A. 13. 1495.* & *P. 1. T. 16. A. 55. 1486.*

2. Ex quibus, uti & ex *Titulo 57. P. 2.* manifestum evadit, non aliunde, quam ab Adversario pendere, ut Reus sententia capitali damnatus, caput amittat, vel salvet; ubi dicitur: igitur gratia Principis contra eum (*Adorem*) non valet, sed tota *satus* Detenti illius, in manibus Adversarii sui pendet. Idem censendum de *Adultera*; cui Maritus, ubi adulterium cognoscit, mortem i-

*re inferre potest, vel, si lubet, vitam donare.* P. 1. T. 105. modò Maritus post cognitum adulteriū, id non approbet cohabitando & concubendo cùi sua; tunc enim, licet illa etiam secundò peccaverit, nocem ei inferre non potest. *Ibidem.* An autem Mulierem adulteram, absente Marito, ab alio, vel per solam famam, accusatam & convictam, Judex ex officio ad mortem damnare possit; consule *proxim:* nam juxta leges citatas, Mariti accusatio, & voluntas adhoc requiri videtur.

## TITULUS XXVIII.

### *De Damnis Illatis.*

Num. 1. **S**i quis Nobilium, aut Rusticorum, Pecora de segetibus, pratis, foenilibus, vel sylvis glandinosis prohibitis, ob illata Damna impulerit, & Dominus animalium hojusmodi, contumaciam ductus, noluerit redimere; tunc damnificatus solum per triduum, illa apud servare poterit; tum manibus Comitis, vel Vice-Comitis Parochialis; absentibus vero illis, ad manus Iudicium, cuius processui Territorium illud subest, assignare tenebitur. P. 3. T. 33. nam secus singulis post triduum diebus,

bus, singulas 3. Marcas gravis ponderis, in duabus Judicii, in tertia vero parte Adversatio, impellens solvere tenebitur. Damna vero irrogata, juxta conscientiosam Judicis, & Juratorum illius loci estimationem, compensari debent. Nam prohibitio, cum speciali, & expresso onere facta, ne pecora in talibus locis pascantur; Colonos duotaxat respicit illius loci: non item Extraneos, qui ad refundenda sola Damna tenentur. Ibidem.

2. Colonus autem furtim, vel manifeste sylvam succidens, vel Arbores decorticans, si ibidem comprehendatur, omnia Bona secum habita perdit; & insuper in homagio suo ob violentiam convincetur. Ibidem. &  
 A. 94. 1715. si sit Nobilis, tunc per Vice-Comitem; si colonus, per Dominum Terrestrem poena homagialis desumenda. De Damnis per Castellanos, seu officiales patratis, Domini ipsorum satisfactionem impondere tenentur, & se de innocentia iuramento purgare: suum vero interesse a suis servitoribus, alios damnificantibus, desumere possunt; idque seu per occupationem verum, seu per detentionem Personarum, si aliter solvere non possent, etiam Nobilium. Vlad.  
 D. I. A. 24. 1492. Confer hæc cum dicendis immediate.

3. His adde ex *Articulo 42. 1729.* sequentia : 1<sup>mo</sup>. præter 3. *Marcas*, *Invagiantem*, etiam *Damnum*, si quod ex neglecta resignatione post triduum emersisset, refundere teneri : est tamen illi liberum, *Pecora ad manus Vice Comitis*, vel *vicinioris Judicis Nobilium*, intra illud triduum, resignare. resignatio solum litteratoria fit, quando *Invgians* per Epistolam resignat Judici pecora; *Judex autem pecora suo nomine ibidem vult etiam ulterius detineri*; restituenda, post praestitam Judici cautionem, suo Domino. Praedicta autem pena eadem est, sive unum, sive plura sint pecora invagiata. 2<sup>dō</sup>. si *Abigens* sit *Communitas*, seu *Nobilis*, seu *ignobilis*, poenam solvit collectivè; si sint *Nobiles privati*, singuli solvunt dietim 3. *Marcas*: si vero sint subditi, tot iterum dietim 3. *Marcas* solvunt, quot *Dominorum* in Bonis divisorum subditi fuerint: imo si pecora, vel subditi, quorum erant pecora, ad Dominos in iisdem Bonis divisoribus spectant, tunc pro numero *Dominorum*, multiplicandus etiam erit numerus ternarum *Marcarum*. Nec tamen haec pena ultra quinadenam extenditur; nisi *Abactor judiciali* er admotitus, resignare pecora neglexerit; tunc enim terminus poenæ nullus est. 3<sup>ta</sup>. *Judex* pecora Dominino

mino suo reddet, erga pignus damno æquivalens, juxta æstimationem Judicis, & Juratorum loci: & nisi intra quindenam pignus rematur, manebit Invagianti irredemptibiliter. 4to. Si fuit abactio ex loco controverso, sufficit cautio scripta, super eo præstanta, quod facta revisione judiciaria, velit satisfacere: nec Judex aliud tunc exigere potest, quam refusionem intentionis pecorum non illa interea usui fuissent, compensacionemque fecissent. 5to. si ad locum non controversum damnificandi studio; vel verò contra inhibitionem judiciariam, pecora impulsa fuerint, etiam poena violentiæ defumi potest: feci autem sola damni, & expensarum refusio. 6to. si pecora ex loco controverso abigantur (*idem* videtur dicendum de aliis violentiis; ut si fœnum tuum alter auferat) & Abigens ejus usum pacificum, publicum, & non subreptitium, precarium, aut permissum, saltem unius ab invagatione anni, habitum probet; tunc coram Vice-Comite ad poenam violentiæ, & damni refusionem: imo, si inhibitio judiciaria personaliter bis præcessit, etiam ad amissionem pecorum agere potest. Econtra si & altera Pars æqualem usum, licet cum Abactore simultaneum ostendat, idque citra judiciariam prohibitionem,

aut contradictionem; tunc Abactor in iisdem poenis convincetur: quia jus suum non viâ facti, sed authore Judice prosequi debuisset. *A.*  
*Cit.* Damnorum porro in violentiis recuperationes; non, ut olim, juramento Actoris; sed Judicij estimatione fiant. *A. 27. 1638.*

## TITULUS XXIX.

### *De Debitis.*

Num. I. **I**N acquisitionibus liquidorum debitorum, etiam expensæ in litem factæ, Actori adjudicandæ sensu etiam *T. 62. P. 2. & 31. 1659.* In facto debiti, vel mutui, Actorе nullum probabile documentum afferente, Reus juramento se purgat. *P. 2. T. 32.* Ceterum cendum est, ne aliqua Partium majori juramento, quam meritum causæ exigat, oneretur. *A. 23. 1613.* Rusticus debitum non solvens, Adversario per Dominum terrestrem assignans: qui eum 15. diebus in suo carcere detinere, tum juxta accordam cum eo agere potest. *P. 3. T. 28.* Mercatores etiam, ut liquidum evadat debitum, libros mercantiles, pro inscribendis debitibus habeant; & statim, cum quid emitur, vel intra annum, per

per Emptorem subscribi, vel subsignari current; vel si is detrectet, per Notarium, aut alium fide dignum. A. 53. 1723.

2. Pro majori Creditorum securitate, omnia debita per quovis contrahenda, *improtocollari* debent in illis Comitatibus, vel Oppidis, in quibus Bona oneri subjicienda, sita sunt: & in debitibus exolvendis, *prioritas juris* observanda. A. 107. 1723. Debitorum *Obligatoriales*, & *Charto-bianca*, si Creditor, vel ejus successores, intra 32. annos *præscriptionis* capaces, se nullatenus inserviant; penitus expirant. A. 37. 1729. *Interesse sex per centum* (si superinde obligatoria extent) in, & extra judicium exigi possunt. A. 144. 1647. ultra 6. florenos autem, seu in virtualibus, seu aliis rebus, etiam titulō *discretionis*, exigentes, aut accipientes; ejusmodi interesse, & discretiones amittunt. A. 51. 1715. sensu verò *Articuli 120. 1723.* etiam *Capitale.* Actions Fisco competente.

## TITULUS XXX.

### *De Decimis.*

Num. I. **D**ecimæ debentur Deo jure Divino: unde si cui Deus de-

cem

cem dederit in anno, Decimam Deo det; & si hanc abscondat, novem solvat Episcopo. *S. Steph. lib. 2. C. 52. Colom. l. 1. C. 25.* Personæ Ecclesiasticæ decimationem personant ei, in cuius Territorio agriculturam, aut vendemiam exercent. *Colom. l. 1. C. 66.* Decimæ Argentō non redimantur; sed sicut terra protulerit, vinum, vel segetes personantur: non obstante Episcoporum contradictione. *Andr. 2. 1222. A. 20.*

2. Nobiles, seu habeant Jobagyones, seu non, decimas dare non teneantur. *Alb. 1439. A. 28.* quod intellige de terris propriis, & ad Curias, seu Domos Nobilium pertinentibus; & non à Colonis acceptis, & in proprium usum conversis. *A. 69. 1563. Ibidem A. 70.* Salva tamen libertate Plebanorum in *Scapusio*, exigendi Decimas etiam de terris Nobilium propriis. *Ibidem.* Decimæ solventur ubique juxta conventionem cum Prælato initam. *Mat. A. 24. 1464.* ubi statuitur, quod si ad requisitionem *Dicatorum*, Rusticus juraret, & Dicator ei crederet; non nisi juxta juramentum ejus dicare valeat: si autem illi non crederet, potest examinare acervum, & superfluitatem auferre. si autem juxta verbum Rustici reportum fuerit, pro indebita re iisque acervi, unus florenus auris Rustico solvatur.

3. De-

3. Decimæ de nullis aliis rebus, quā in de  
vinis, frugib⁹, agnelli⁹, apibus, milio⁹, sili-  
gine, hordeo, avena, juxta antiquam con-  
ſuetudinem, exigantur. *Mat. D. 5.* 1481.

**A. 1.** De Decimarum exactione injustè con-  
queſtus, in emenda lingvæ convincitur. *Ibidem*

**A. 13.** Villici, & Judices, propter hospi-  
talitatem, quam exhibere ſolent Decimato-  
ribus, à ſolutione decimarum, earumque ad-  
ministratione ſint immunes. *A. 42.* 1495.  
Prius autem ſemper *Nona*, deinde Decimæ  
persolvantur. *Ibidem.* **A. 44.** Decimator pro  
debito neminem areſtet. *A. 64.* 1514.

4. Personæ Ecclesiasticae nulli tenentur de-  
cimas suas in Arendam locare. *A. 60.* 1548.  
Si quas autem ſponte locare voluerint, eas  
uſque ad festum B. Georgii, nemini alteri,  
quām Dominis terrestribus arendare poſſint.  
Si quis autem Prælatus, vel Persona Eccle-  
ſiaſtica, ante hoc festum alteri arendaret;  
decimam illius loci, eō anno, Domino fun-  
di cedere debet. Secūs ſentiendum, si uſque  
ad hoc festum Dominus terreſtris cum Præ-  
lato non conveniat, nec pretium, ſi quod  
ab antiquo certum fuit, deponendo, nec no-  
væ taxationi acquiescendo; aut dimidiā  
pretii partem statim tempore arendationis;  
alteram verò medietatem, ad festum *D. Ni-*

colai, vel Purificationis B. M. V. dare non  
fendo. Quo etiam Casu, Decimas priusquam  
ipse colligat, alteri dare non potest. A. 60.  
& 61. 1548. vide tamen Articulum 8. 1553.  
ubi Praelati, libertati decimas suas cui libet  
quomodo cunque locandi, non nisi ad futuram  
usque Dictam, & quoad suas duntaxat Per-  
sonas, pacis causa renunciārunt. Articulus  
etiam 55. 1546. post Festum D. Georgii,  
dat illis facultatem, Decimas cuivis locandi.

5. Rusticis, Decimas frugum iavehentibus,  
cedit decima pars inventarum frugum. A. 51.  
1498. Si decimatio usque ad festum S. Egidii  
peracta non fuerit, licebit Colonis fruges  
suas invehere. A. 70. 1622. Hodie tamen us-  
que ad festum S. Stephani. A. 11. 1715.  
Sedecima Decimarum ubique, & etiam Octa-  
va, ubi in usu fuit, Parochis Catholicis se-  
cundum leges Patrias præstetur. A. 71. 1723.  
Decimalitatem habent liberi Religionem in-  
gredientes ex portionibus suis, e Bonis Avi-  
tis immobilibus obvenientibus, infra sum-  
mam 50000. ex Acquisitis verò, præterquam  
ex libera Parentum dispositione; & summam  
prædictam excedentibus, nihil. Art. 71.  
1715. Ex Fundo Decimis obnoxio, solvunt  
Officiales, Villici, stipendiarii que omnes. A. 23.  
1635. Exactionis modus, quantum ad De-  
cimas,

cimas, præscribitur. AA. 4. & 19. 1613.  
45. 1618. 20. 1622. 45. 1625. ubi tolluntur  
varii excessus Dicatorum, quos sparsim  
serè adduximus.

## TITULUS XXXI.

### *De Defensa, & Offensa.*

Num. I. **D**efensa sumi potest dupliciter:  
imò. pro Corporis, & Personæ tutela. 2dò. pro rerum  
immobilium, & jurium Possessionariorum  
conservatione. P. 3. T. 22. Quare licitum  
est, iniquum Invasorem, & occupatorem Bonorum,  
intra annum ejicere, & se contra talēm, utcunque quis poterit, etiam cum no-  
tabili ejusdem incommodo, defendere. *Ibidem.*  
Et P. 1. T. 68. Hinc est, quod spoliator,  
ac iniquus ejusmodi occupator, qualemcun-  
que adhibeat sui defensionem, excusari non  
possit. *Ibidem.* Possit verò alter, ubi vim  
iniquè sibi illatam, vi repellit: adhibito mode-  
ramine inculpate tutela. Quod fieri tunc di-  
citur; quando quis aliter se, sine periculo re-  
rum, & Personæ suæ, defensare nequit; nisi  
iniquum Aggressorem aut occidendo, aut  
vulnerando. *Ibidem.*

2. Qui in sui defensionem homicidium commisit, debet probare, quod alter ipsum armata manu sit aggressus, & per hec in vita discrimen conjecterit. Ad quod probandum satis erit ostendere, quod Aggressor gladium contra se evaginaverit; sive deinde id fecerit animo occidendi, sive graviter vulnerandi. *P. 3. T. 21.* Unde talis nullam poenam, ob ejusmodi homicidium, vel vulnerationem, incurret. in foro tamen conscientiae, si Aggressorem, cum honore, & salvatione Personae suae, evadere potest; tunc id facere tenetur. *Ibidem.* & apud Canonistas. Ubi non apparet ex testimonio, vel aliunde, quis alterum prius percusserit; tunc culpa in illum redundabit, qui alium ad percus-  
sionem, vel contentionem provocavit. *Ibidem.*

3. Justa autem censetur sui defensio etiam occisiva; si fiat *in continenti*, vel ante consummatam injuriam, vel in eadem pugna, aut rixa: & non tunc, postquam Aggressor sibi fugit, vel destitit, vel exarmatus est &c. sic enim esset potius vindicta, quam justa defensio. *Quia defensa fit in continenti*, *vindicta autem post moram infertur.* *Ibidem.* Nisi forte percus-  
sus repercuteret, ut paratas ab Adversario novas percussionses evaderet. *Ibidem.* Propter solas minas tamen non licet quemquam offendere.

offendere; nisi Comminans consuevisset, ac etiam tum posset minas suas exequi. P. 3. T. 23. ubi tamen salubrius faciet, si illum evitet. Qui tamen combustionem, seu incendium minatur; etiam propter solas minas, morte plectitur. Ibidem. Potest autem in hoc casu, *Invasum* quisque defendere; nisi is publicus Malefactor sit. P. 3. T. 24.

## TITULUS XXXII.

### *De Divisione Bonorum mobilium, & immobilia.*

Num. i. **B**Ona universa Nobilium Paterna, & Avita, quocunque nomine vocentur, inter Filios eorundem æqualiter dividenda. *Domus* vero Paternæ Filio juniori cedit ad residendum: ita tamen, ut cæteris quoque Filiis de communi proventu hujusmodi Bonorum, *Domus*, Paternæ similes, in loco communi, ubi illi voluerint, extruantur. Ad quas totidem agri, sylvae, &c. debent attribui, quot ad ædes Paternas pertinent: vel certè terræ ipsæ, ad Domum Paternam spectantes, dividi debent: ita tamen, ut etiam *seffie* *Zobagynalis*,

*nalis*, in qua Domus nova Nobilitaris erigetur, cum suis appertinentiis, pro parte divisa computetur. P. 1. T. 40.

2. Ubi autem Domus Paterna *sumptuosa* nimis foret; ita ut alii Fratres similem sibi erigere non valeant: tunc æstimabitur, & portiones reliquorum, Frater junior exolvet. Quod intellige, si Frater junior tantæ ætatis fuerit, ut rebus suis commode prospicere non possit: alias enim ipsum quoque ædificium æqualiter inter ipsos dividetur. P. 1. T. 41. & hæc vera sunt de Filio juniori licet haberet Sororem *condivisionalem* se juniorum. *Ibidem*. Divisio inter Fratres Carnales, aut Uterinos, non fit processu litis: sed si Bona sint in eodem Comitatu, per litteras Regis præceptorias ad Comitem, vel Vice-Comitem sonantes; si vero Bona sint in diversis Comitatibus, ad M. Proto-Notarium (nunc coram Tabula Districtuali, penes solam Actionem eidem exhibendam, A. 30. 1723.) directas peragi solet, & debet: contradictione alicujus Fratrum non obstante. P. 1. T. 45. quorum judicio omnia bona mobilia, & immobilia, Avita, ac etiam communiter per eos acquisita, juxta numerum Personarum dividenda. salvis tamen posteriorum legum statutis, verbo: *Conservator*,

à nobis adductis. Utī & appellatione juxta  
Articulos 28. & 29. 1729.

3. Facta autem semel inter Fratres di-  
visione modò antelatō, si quispiam Fratrum,  
portionem suam minorem cæteris afferendo,  
vel ex alia causa legitima, novam divisionem  
petierit, illa non nisi processu juris admicte-  
tur; idque si Judici ita videbitur. P. I.  
T. 45. Confer his *Articulum* 36. 1729. ubi  
habentur sequentia: 1. ad novam divisionem,  
vel ejus rectificationem procedi non potest,  
nisi intra 32. annos. Quoad Pupillos tamen  
anni Præscriptionis non nisi post decimum  
sextum ætatis annum currere incipiunt.  
2. Divisionis Rectificatio peti debet coram Co-  
mitatu, vel si Bona sint in diversis Comitatibus,  
coram Tabula Districtuali: Nova Divisio au-  
tem coram Tabula Regia. 3. Penes Rectifica-  
tionem, procedi potest ad emendationem er-  
rorum, tempore divisionis admissorum: sub-  
stantiâ Divisionis intactâ. 4. Rectificatio, sive  
per expressum tempore Divisionis reservetur,  
sive non, Parti eandem petenti intra 32. an-  
nos, debet admitti, sed semel duntaxat.

4. Divisio Bonorum inter Fratres etiam  
per Arbitros, ex mutuo Partium consensu, cum  
vel sine poena, peracta; vel reali usu robo-  
rata,

rata , pro legitima habetur : neque secūs , nisi processu , N. 3tiō. cit. jam per A. 36. 1729. declaratō ; reiterari valet. A. 54. 1655. Evidētio porrò , arg. a. 36. cit. in Divisionibus semper ex natura ipsa inesse intelligitur. Si Fratres per metarum erectionem , ac distinctionem inter se Divisionem fecissent , aut de facta olim Divisione per Avos , vel Abavos , in quibusdam Bonis , litteræ divisionales existarent ; nova Divisione etiam intra annos Præscriptionis , non admittitur. Nisi forte alter Fratrum violenter pro se alterius Fratris Bona usurpāset ; & spoliatus novam Divisionem peteret , non valens secūs Fratri posteriori resistere. Quo casu , potest contra violentum usurpatorem , intra 32. Præscriptionis annos , etiam jure agere. P. 1. T. 46.

5. Porrò universa Bona inter Fratres divisa , altero ipsorum sīnē Hæredibus ( licet Vi- duā relictā ) decedentes ; semper in cæteros Fratres superstites , & eorum Hæredes devolvuntur : dummodo , à Fisco Regio in jus vocati , eidem probare possint , per lineam rectam fuisse de sua Progenie illum Desunctum : id quod probatur vel litterali docu- mento , vel humanō testimoniō , ad 60. annos solūm se extendente. P. 1. T. 47. & 67. unde sequitur , quod Bona post divisionem , per

per aliquem Fratrum acquisita, Acquisitore si-  
ne Hæredibus decedente, non in Fratres con-  
ditionales, sed in Fiscum Regium deriven-  
tur. *ibidem*. Excipe casum, in quo Bona ac-  
quisita non essent *Collationis Regiae*, & Ac-  
quisitor liberè, uti potuit, de iis disponuisse;  
nec ab intestato decessisset; Juxta A. 26.  
1715. Uti etiam similia conjugum succe-  
sio, si decedens Viduam reliquisset, sensu  
A. 11. 1687. excipitur. Repulsionis reme-  
dium, ex talium duntaxat litterarum Di-  
visionalium expeditione sit exclusum, quæ ra-  
tione Divisionis, inter Fratres, & Sorores  
Carnales fienda, emanabunt: inter Fratres  
tamen, ac Sorores aliquantò remotiores,  
Repulsio in causam Attracto suffragari potest.  
Et sic declaratur. A. 69. 1618. per *Articu-  
lum* 11. 1630. vide tamen de *Repulſ.* vide  
de his plura verbo: *Conservator Litt. Inst.*

6. Marito decedente, & Liberos cum U-  
xore, ac Fratribus indivisis in Domo sua re-  
linquente; primum portio Defuncti, à Por-  
tionibus Fratrum, in rebus mobilibus seque-  
strari debet; deinde omnes res mobiles ejus-  
dem, inter Uxorem, Filios, ac Filias dividen-  
tur. Equos tamen Currieros, & vestem  
potiorem Defuncti, vidua capiet: arma vero  
( idem videtur intelligendum de *sonipedibus*)

libris, aliisque id genus ) Filii, aut Fratribus cedent. His autem non existentibus & Marito intestato decedente, omnia bona mobilia in Viduam devolvuntur. P. 1. T. 99. & 98. Filii tamen, si Patre vivente jam divisí erant, aut Filiæ nupciis traditæ; de hismodi Bonis, Portionem habere non possunt: Ibidem. Eccl. de Avitis. vide Kitt. Dub. 45. & 46. Si Maritus Equos gregales infra quinquaginta habuerit, seu in, seu ante conjugium ad ipsum devenientes, communes esse debebunt: si tamen eundem numerum attigerint, vel excederint; tunc Maritus potest de illis testari; si autem intestatus decedat, inter hereditates Filiorum computabuntur. Si tamen iidem Equi Avitis fuerint, testatio Mariti de illis non tenet; nisi quantum ad ejus portionem. P. 1. T. 101.

7. Si Maritus, durante Conjugio, bona possessionaria, pretiō comparaverit, & nomen Uxoris fassionalibus insertum non sit, Uxor ex eisdem portionem habere non potest. P. 1. T. 102. Rustici decedentis Filii, & Filiæ nondum emaritatae, in rebus mobilibus, & immobilibus aequaliter succedunt: imo etiam emaritatae in rebus Avitis. P. 3. T. 29. Bona impignoratitia, ante, vel post coniugium Marico obligata, post ejus obitum, licet

et nomen Uxor is in litteris obligatoriis non  
contineatur, æqualiter tamen inter ipsam, ac  
Liberos, Fratresque indivisos, more rerum  
motilium dividuntur. P. 1. T. 102. vide de  
his plura verbo: *de Dote, & Dotalitiis. i-*  
*tem, de Bonis Aviticiis. &c.*

## TITULUS XXXIII.

### De Donationibus Regiis.

Num. 1. **D**onatio Regia est duplex, nem-  
pe pura, & mixta. Pura est  
jurium possessionariorum, in  
jurisdictionem S. Coronæ legitimè redacto-  
rum, perennalis per Principem, ob servitia,  
vel præclaras virtutes cuiquam facta collatio.  
Mixta est, quæ ultra servitia, etiam aliquam  
pecuniam complectitur: quæ, & inscriptio  
passim nuncupatur. P. 1. T. 13. Recidunt  
autem bona in jurisdictionem S. Coronæ po-  
tissimum in his casibus: 1. ob defectum se-  
minis. 2. propter Notam Infidelitatis. 3. ob  
Crimen lese Majestatis. Quæ proinde potest  
Rex, vel pro se reservare, vel alteri conser-  
ve. sensu tamen Articulorum 31. 1599. 15.  
1608. 31. 1630. &c. id genus bona Hunga-  
riae hanc meritis, & sine pecunia conferenti

sunt. Proprios tamen S. Coronæ proventus inscribere nulli potest. A. 12. 1514. quos vide Ulad. A. 3. 1514.

2. Donationes cum clausula C de manibus Regiis collata ) nullius sint vigoris. A. 60. 1492. & Donatarius non nomine Regio, sed suo item prosequatur, si eidem tempore statutionis contradicatur. *ibidem*. A. 61. Nec Bona donata occupentur e manibus possidentium, donec ordine juris de Dominio eorumdem decernatur. A. 10. 1471. Princeps autem Donationi suæ semel factæ, per se, vel per alium jure refragari nequit: modo sit verum; quod Imperator, aut Antecessores ejus in reali, ac pacifico, & non vi obtento, talium jurium Dominio fuerint. P. 1. T. 37: Donationes, & Inscriptiones ex Cancellaria duntaxat Hungarica emanatae, pro vigorosis habentur. A. 122. 1647. quod statutionem attinet, vide verbo: *Statutio*.

3. Circa Bona, per defectum seminis, donata; sequentia notanda sunt. Ubi enim illa cuidam indebet collata sunt, potest quisque, si jus suum ostenderit, eadem de manibus Regis legitimè requirere. P. 1. T. 29. Si quis autem Bonorum imperatorum statutioni contradixerit; infra unum annum coram Judice Curiae Regiae jura sua producere, & proba-

probare debet. Quod si fecerit, per eundem Judicem in iisdem statuetur. P. 1. T. 29. & 30. si autem Bona fuerint dubia, usque ad decisionem litis, in sequestrum dentur. A. 26. 1486. & P. 1. T. 29. hos duos Titulos declarant Art. 25. & 26. 1715. Unde habentur 1. quod Fiscus Regius in manifesto semi-nis defectu, possit viâ facti Bona apprehendere. 2. quod in *dubio* non possit per Comitatum Bona sequestrare, si coram Comitatus Judicibus *Pretendentes* jus suum edocuerint: sed tunc debet illos ad Tab. Reg. evocare. Si vero coram sequestri Judice in proba defecerint; Bona statim sequestrantur: permissa *Pretendentibus* coram Tab. Reg. a-gendi facultate. Vidua in semine deficientis, donec ad alia vota transeat: uti & Filiæ, usque dum nubant; non possunt ex Residentia paterna, per Fiscum exturbari, ac præter hanc Residentiam, debet etiam *quarta pars* possessionum pro Filiabus sequestrari: quæ, post emaritationem, in pecuniis exolvetur. quod si aliqua earum, cum consensu Fratrum, aut Consanguineorum, homini impossessionato nupserit ( id est: Ignobili, Com. Syst. hic ) Bona quartæ puellaris manebunt apud ipsam. si autem sine consensu dictorum Consanguineorum, aut Parentum nupserit; quartalitatem

tium non in possessione , sed in pecuniis habere potest. P. 1. T. 29. & 30. *Novam Donationem* postulans à Rege ( quod fit , cùm litteralia Documenta , vicissitudine temporum amissa sunt ) Vicinorum , & Com provincialium , Nobiliūmque testimonio probare debet usum pacificum talium Bonorum. *Ulad.*  
*D. 1. A. 78.* non valet autem talis nova Donatio , si v. gr. Bona concordia utrumque sexum ( aut è contrà ) impetrantur pro solo mascul. *P. 1. T. 36. P. 2. T. 77.* *Nova* donatio , sive cum jure Regis simul , sive simpliciter facta , semper valet: modò preces veritate nitantur. *P. 1. T. 37.* *Donationes ab Anno 1604. usque ad 1608.* factæ , etiam absque statuione firma sunt. 1608. *A. 18.* vide *Tit. de Bonis Jus fœm. &c. n. 4.* *huc* facit *T. 12.*  
*P. 2. P. 1. T. 60. A. 33.* 1715.

## TITULUS XXXIV.

### De Dote, Dotalitio, & Paraphernis.

Num. 1.

**Q**uamvis *Dos* , & *Donatio* præter *Nuptias* , sive *Contrados* longè differant ; nos tamen

utrum-

utrumque confundimus, jam Dotem, jam Dotalitium vocantes id, quod Uxori propter ejus deflorationem, de Bonis Mariti datur. Paraphernum vero, sive Paraphernalia dicimus omnia Bona mobilia, qua Uxori a Marito, Parentibus, Fratribus, aut aliis, tempore solemnitatis Nuptiarum, Desponsationis, aut subarrbationis ejus, dantur. P. i. T. 93. Relictæ Baronis, nomine Dotis 100. *Marcas* à Magnatis vero, aut Insignis Nobilis, si 50. sessiones Jobagyonales populofas, vel plures habuerit, 50. *Marcas*, pro Dote sua, gravis ponderis consequitur. Relictæ autem inferioris statū Nobilium, juxta Bonorum quantitatem, communi æstimatione mediante, Dotes suas rehabere possunt. Excluduntur autem ab hac æstimatione Agri, Sylvæ, Prata, & aliæ Pertinentiæ, ac Proventus Bonorum exteriores. Mortua vero Muliere, Consangvinei ipsi propinquiores, Dotalitium ejus requirere possunt. *Ibidem*. Confer §. hunc finalē cum infra dicendis. vide verba: *Æstimatio Bon.* n. 6.

2. Fœmina à primo Marito integrum Dotem: à secundo medium: à tertio quartam partem: à quarto octavam solum Partem Dotis habet. P. i. T. 96. Vidua, in Viduitate sua permanens, etiam restituta Dote, de Bo-

de Bonis Mariti extrudi non potest, nisi aut illa nimis copiosa essent, aut Residentia Mariti, *Castrum* foret: quo casu, alia illi Domus deputabitur; nisi plura haberentur Castra. P. I. T. 98. Bona Paraphernalia, mortuō sine liberis Maritō, simul cum Dote Mulieri cedunt, nec ulli subsunt Divisioni. P. I. T. 100. si verò Mulier decedens, liberos relinquat, ad eos devolvuntur. Res autem per Sponsum Mulieri datæ, mortuā ante Nuptias Sponsā, nunquam per Sponsum recuperari possunt: si verò post Nuptias decedat sine liberis (nisi ipsa aliter disposuisset) apud Maritum manebunt. *ibidem.*

3. Mulier de Bonis Mariti etiam impignoratis, Dotem suam rehahere potest: redemptionis tamen tempore, etiam super solutione hujusmodi Dotis, extra *summam capitalem* *Pignoratorio* satisfieri debet. P. I. T. 103. Dotalitium verò Uxorū, pro maleficio Mariti nunquam amittitur. P. I. T. 104. si tamen in adulterio deprehendatur, nec Maritus post adulterium scienter cum ipsa cohabita- verit, Dotalitium perdit; non item res Paraphernales. P. I. T. 105. idem fit; eum Mulier in gradu prohibito Consanguinitatis, vel Affinitatis scienter Matrimonium contrahit. Quo casu nec Proles ex Matrimonio incestuofo-  
susce-

susceptæ in Bonis Pareotum succedunt; licet  
legitimate essent: sed earum loco, in alios Pa-  
rentum successores Bona devolvuntur. P. 1.  
T. 106. & 108. Prohibitionem autem intelli-  
ge ab Ecclesia Rom. Cath. usque ad quartum  
gradum inclusivè factam. P. 1. T. 107. Po-  
ena autem Matrimonii sic contracti, & con-  
summati, siquidem in 1. vel 2. gradu fiat; tunc  
paena est mors: si vero in 3. vel 4. tunc car-  
cer ad duos, vel tres annos. A. 11. & 12.  
1723. idque non obstante Religionis diversi-  
tate: cum leges Patriæ æqualiter omnes Ci-  
vies ligent. Judicandas autem esse causas  
Matrimoniales, etiam jure nostro, juxta Sa-  
cros Canones; patet ex S. Steph. lib. 1. C. 2.  
& novissimè ex A. 29. 1723.

4. Si Bona, per Vidiwas, ultra Dotes ea-  
rum, illegitimè ab alienata sint; Fœneratores  
Pecuniam amittant, & veri successores Bona  
sine ulla solutione ( rei tamen veritate priùs  
per Judices Comitatūs cognita ) rehabeant.  
A. 61. 1618. ubi etiam statuitur, ut si Cu-  
rias, vel Bona, datâ operâ desolari permise-  
rint, damna ex Dotibus ipsarum resarciantur.  
Dotalistæ omnia privilegia!, litterasque, Bo-  
na Maritorum concerentes ( exceptis illis,  
quaæ ipsas præcisè, vel ipsarum Hæredes tan-  
gerent ) ad requisitionem successorum legi-  
timi-

timorum, sub pœna exclusionis è Bonis, sub juramento in sua Persona, extradere tenentur. *ibidem.* & *A. 67. 1622.* per quem prior declaratur: 1. quod in sedibus judiciariis Comitatuum debeant legitimè conveniri. 2. quod Parti succumbenti extra Dominium detur facultas appellandi, ac novè judicio utendi. 3. quod Dotalistæ intelligi debeant simplices, & non *Coacquisirices*; quod coacquisitionis jus probare, ipsis incumbit: & hæ, præter *Dotem*, acquisita sua, sive ab *Heredibus*, sive à *Fisco*, jure prætendere possunt. *P. I. T. 102. A. 67. 1622.* 4. quod si Dotalistæ Bona, vel litteras Alienis; vel à successione Remotioribus, per collusionem resignâsent; non solum ipsæ, sed illi etiam eodem jure conveniri possint. Causæ Dotum, ac Paraphernorum in foro sacerulari ventilentur. *1647. A. 16.* & quidem in Comitatu usque ad florenos 600. admissa unica extra Dominium appellatione: ultra valorem verò 600. *florenorum*, coram Proto-Notario (nunc coram *Tab. Distr. A. 34. 1723.*) admissa intra Dominium, ad Curiam Regiam, appellatione, peremptoriè judicari debent. *ibidem. A. 126.*

5. Si Dotalistæ in sepulturas suorum, expensas æquō majores faciendo, Bona abalien-

nent; Judices Comitatum requisiti, abscessis omnibus juridicis remediis, eadem veris successoribus restituant; Dotalistas vero excludant. A. 25. 1655. Porro sicut hactenus universa Bona pignoratitia, uti & res omnes mobiles Marii intestati, ac sine liberis decedentis, *Vidua* acquisivit: ex vi *Titulorum* 98. 99. & 102. P. 1. ita imposterum ex mente A. 11. 1687. Dos, & Paraphernum, cunctaque res mobiles, nec non Bona per Uxorem, titulus pignoris parta; illa, sine liberis, ac testamento, decedente, non amplius in *Consanguineos Defunctorum*, sed in *Mariatum* devolvantur. Confirmatur id A. 26. 1715. quod si Defuncta liberos relinquat, nova, & antiqua lege successio eos, non Maritum concernit: cum A. 11. 1687. loquatur solum de casu, quo Uxor sine liberis decedit. Hinc derogatum est dispositioni T. 100. P. 1. & T. 93. §. finali. vide de *Admonitione. Estimatione. Emenda capititis.* Mulier trinpli de causa potest Dotem Marito relaxare: 1. si Maritus Bona Uxor propriam augmetet. 2. si expensas necessarias in illa faciet. 3. si Dotis loco, animae Uxor defunctae consulat. P. 1. T. 109. quamvis id etiam extra has causas fieri possit; modò absit *coactio.* ibidem.

# TITU-

## TITULUS XXXV.

De Emenda Capitis, &  
Lingvæ.

Num. 1. **P**ronunciatur sententia *Emenda Capitis*, in actibus *majoris potentiae*: de quibus suprà: unde à sententia *Capitali*, in hoc solum differt; immò. quod sententia *Emenda capitis* feratur intra, & contra Personas à jure determinatas; ut Ecclesiasticas, Religiosas, Muliebres, & Fratres generationales. P. 2. T. 42. A. 1<sup>o</sup> 1723. *Capitalis* verò feratur inter, & contra Personas Nobiles, præter recensitas. *ibidem*. 2<sup>d</sup>o. quod in *Emenda capitis* convictus (sive *convictio* sequatur ex *insufficienti defensa*, sive per *nonvenientiam*) neque detineri, neque *Capitis* amissione puniri possit: sed in *homagio*, idque simul cum amissione Bonorum, convincatur. Prælatus quidem, aut Baro in 400. Nobilis autem in 200. *florenis*, soli Actori cedentibus. Et ante omnia, hæc pœna homagialis desumi, Actorique assignari debet: reliqua verò *Bona*, *immobilia* quidem communi æstimatione redemptibiliter; *mobilia* irredemptibiliter, Reum præcisè concernen.

Clementia, in duabus Judici, in tertia vero  
Partibus Actori cedunt. Fœminæ vero, in  
Emenda Capitis convictæ, præter Bona im-  
mobilia, & mobilia, amittunt etiam Dotali-  
tia, & Quartalitia, P. 2. T. 43. vide de Sen-  
tentia Capitali N. 4. Indebitè accusans quem-  
piam de homicidio, & in proba deficiens §  
in Emenda Capitis convincitur. Ubi per  
Judicem, ex Bonis Convicti, Accusato satis-  
faciendum: ita tameu, ut nullam eo casu Ju-  
dex habeat portionem. Matt. D. 3. 1471.  
A. 28.

2. Poena Emenda Lingue, ob injustam;  
falsamque querimoniam, Regi, aut Judici-  
bus Regni ordinatiis portetam (intellige  
gnistram instantiarum expositionem; non accu-  
sationem infamatoriam: quia in hoc casu,  
sensu. A. 7. 1715. poena Talionis desumitur  
posset) item ob turpia, inhonestaque ver-  
ba, contra quempiam Bonæ famæ, & hone-  
stæ conditionis prolata; per Judices imponi  
solet. facit autem florenos 100. in duabus  
Judici, in tertia vero partibus, laeso perso-  
vendos. P. 2. T. 72. Math. D. 6. A. 7.  
1655. A. 50. causa tamen, ob injustam hu-  
jusmodi dishonestationem, non amittitur §  
sed solùm usque ad poenæ depositionem, aut  
executionem suspenditur. Ibidem. Inter Oppi-  
anos

danes tamen non privilegiatos, uti & *Rusticos*, 20. solum florenis compensatur. *Kitt.*  
*C. 9. Q.* 20. imò & Nobilis, stante sede judicaria ( non item solutâ ) potest cum minori onere 25. florenorum deponere. *A. 89.*  
*1635.* *A. 94.* *1649.* *A. 108.* *1655.* quòd si tantum æris apud se non habeat, potest in anulo aureo, vel argenteo, 25. florenis pòst redimendo, deponere. *Prax.* Ex *citt.* Art. patet, non solum verbô, sed etiam scriptô de honestatoriô hanc pœnam incurri: quæ sensu *A. 94.* hic *cit.* extenditur etiam ad de honestationes, extra sedem judicariam commissas, prævia citatione, & processu acquirendas. Et quidem respectu singularum de honestationum, diversis temporibus commissarum, & in Actione exprimendarum. *A. 57.*  
*1723.* vel si eodem quidem tempore, sed diversa probra continentium; ut si in eodem scripto, alterum dices *Eurem*; *adulterum* &c. *Prax.* Et à fortiori; si idem crimen, aut eandem infamiam, diversis scriptis, alteri quis objecet.

3. Pro de honestationibus supremorum, & Vice-Comitum, aliorūque Comitatensium, in actuali officii exercitio procedentium, etiam stante sede; 100. floreni sine expensis; extra eandem verò, querumcunque, exiguntur. *A. 25.*  
*1723.*

1723. vide de *Birsagiis*. Processus hujus causæ, inter Nobiles; in *Sedria Comitatūs*, ubi injurians residet. A. 16. 1647. inter Civites; coram Magistratu Civili: contra subditos; in sede Dominali: contra Clericos; in Foro Ecclesiastico agitari solet. *Colom.* L. I. C. 6. nec poenitentia facti excusat injuriantem. Si autem dicat, se non animo injuriandi, dictum contumeliosum protulisse; id probare debet: pro quo sufficient circumstantiae, conjecturæ, aut juramentum, vide *Civilistas de injuriis*.

## TITULUS XXXVI.

### *De Evictione, & Evocationibus.*

Num. I. **E**victio, seu *expeditoria & autio*, vel *cantio de Evictione*, est promissio, alterūm in possessione Bonorum, contra *legitimos*, seu processu juris agentes, *impetitores* (non item contra *violentos occupatores*) defendendi, & manutendi. Unde si *Pars Fatens* legitimè requisita, alteram Partem, juxta preassumptam cautionem, in Bonis à se venditis. aut Cambiatis

bis conservare non posse; tunc ea em Bonam cambiata, si existent, in specie; secus Bonis, venditis, aut cambiatis æqualia statuere eidem debet. P. i. T. 74. id quod intelligendum est, si *Evictio Fassionalibus generaliter*, & *communi modō* inserita sit: nam si quæ adjectæ conditiones, eadem utrinque Partium servandæ. *ibidem*. Evincendus, ante litis decisionem, Evictorem evocare tenetur, ut se in judicio defendat. secus enim, postquam semper Bona juridicè amiserit, Evictor eum defendere non tenetur. P. i. T. 75. si tamen in causam Attractus, ob inevitabilia impedimenta Evictorem suum habere non potuit, ac propterea succubuit, extraque Dominium Bonorum suorum constitutus est; beneficiō *novi judicii*, contra Partem triumphantem extracti, ad Evictorem suum regredi potest. A. 35. 1659.

2. Per *citationem* autem, & non per aliquod *mandatum*, debet venditor, aut opignorator ad evincendum compelli: secus enim posset impunè resilire. Si vero *Citatus* evincere nolit; in onere assumptæ evictionis convincetur. *Kitt. Dub. 35.* Unde in causam Attractus, & in judicio constitutus, se ad Evictorem revocare potest, terminum, pro eo evocando, petendo, & in eodem *E-*

*victio*

victionales producendo. *idem Dub. 38.* Hoc tamen observandum, quod Evictio semper ad Extraneos, non vero ad ipsos Donatores, vel Venditores referatur. Unde isti titulo Evictionis, quasi vero Emptorem non fiderent sibi in Bonis conservare; si non possunt Bona sua iudicere repetere. Cæterum licet Donatores, & venditores juxta *T. 77. P. 1.* agere contra possessores Bonorum venditorum, aut donatorum generaliter non possint; possunt tamen ex certa aliqua causa; ut si inconsultè se fecisse adverterent, debito statim tempore, dictas vendiciones retractare. *Kitt. Dub. 40.* An autem Evictoris successor, ultra vires successionis sue, evincere teneatur; primum consule. *consultum est, cautelas omnes, de quibus nihil statutum, Fassionalibus inserere.* si enim Evictio est concepta generalibus solùm terminis; & aliqua particula ex Bonis venditis, jure mediante, avulsa est, tunc Evictor non tenetur ad damnum compensandum. *P. 1. T. 76.*

3. Quamvis *Citatio, Certificatio, Evocatio, jure nostro passim confundantur;* distinguit tamen *Kitanos* Evocationem à Citatione: quod hæc latius pateat; cùm æquè ad Casas Comitatuum, atque Curiae, aliorūmque Tribunalium se extendat; *Evocatio* vero

Causas Curiæ, seu Tabulares respiciat. P. 3.  
 T. 26. & 27. vide cit. Kitt. C. 2. Q. 1. &  
*seqq.* qui varias ibidem Citationis species,  
 fusè recenset: quarum transcriptionem, quan-  
 tum ad eruditionem; hic prætermittimus:  
 quantum vero ad usum faciunt, infra referemus  
 Quod autem nemo, nisi legitimè citatus, cui-  
 quam responderet, & judicio stare debeat;  
 statuitur pluribus locis, ut Andr. D. 2. A. 2. Ulad.  
 D. 1. A. 11. & 12. P. 1. T. 9. A. 31. 1613. A. 5. 1723.

4. Evocatio nihil est aliud, quam ad actionem, vel querimoniam, judici competenti per quempiam, & adversus quempiam, porrectam, in presentiam ejusdem Judicis legitima vocatio. P. 2. T. 18. Evocationes aliæ sunt simplices, aliæ Peremptoriales, sive Insinuacionales, aliæ Admonitoriae, aliæ Introductoriales, & Reambulatoriae; à Causa Introductionis in Bona, & Reambulationis metalis, sic dictæ. *ibidem.* vide Kitt. Dub. 56.

Evocatio simplex illa dieitur, quæ absque ulterioris termini denegatione concipitur. *Insinuationalis*, sive *Peremptorialis* fit in illis causis, quæ brevi Termino, seu processu terminantur. Kitt. C. 2. Q. 3. ubi omnis ulterior Evocatio aut Terminus Evocato denegatur. Uti fiebat in Causis, quæ unius Termini, vocabantur, & in primis octavis decidi sole-

di solebant. Tales sunt, quæ super factis potentiariis, damnorum illationibus, aliisque documentis, & injuriis motæ sunt. Mat. D. 6. A. 6. Ulad. D. I. A. 54. item Causæ novorum judiciorum Ulad. D. I. A. 52. P. I. T. 77. obligaminum. Ulad. D. I. A. 38. Debitorum, Quartalitiorum, Dotum, Parapher. Divisionum inter Fratres indivisos; nec non Evocationum ratione *Evictionis*, vel Occultationis litteralium instrumentorum: ita, ut qualisunque Evocatio præmissa fuerit, Causæ prædictæ in unico termino deciderentur; reliquæ verò in quatuor Octavalibus. P. 2. T. 18. præterea Causæ *Depositionum* contra Depositores. A. 16. 1622. & jurium impignoratiorum acquirendorum. P. & TT. citt. Addic his *Kitt.* Evocationem *Utralem*; quod Evocatus, utram vellet, amplecti posset.

5. Dividitur præterea Citatio in *Realem* (quæ & *Personalis* interdum vocatur) *Verbalens*, & *Scriptam*. Scripta est, quæ fit per litteras in forma *Missilium*; à *Tabula* quidem *Regia*, & *Districtualibus*, sub sigillo Regiae Majestatis. A. 30. 1723. Ab inferioribus verò Judicibus, Putà Comitatensisbus &c. sub propriis sigillis usualibus: debentque solita subscriptione roborari. Quod si igitur vel *sigillum*, vel *subscriptione* in Certificatoriis de-

sit, Actörque exceptionem superinde oponat; causa condescendit. *Verbalis Citatio* est quæ per juratum Tabulæ Regiae Notarium, seu *Scribam*; vel per Ministrum Judicis (ut in liberis Civitatibus sit) perfici solet. *Realis* demum est, dum quis in loco delicti, vel per continuam prosecutionem, *in flagrante* si apprehenditur, Judicique sistitur: quod sit maximè in criminalibus. *Ulad. D. I. A. 91.* nihilominus etiam in his, Captus citari solet ex vinculis. *A. 38. 1655.* nec est usus ferè *Realis Citationis*; nisi in casu Perduellionis, sensu *A. 7. 1715.* ac manifesti Debitoris, & de fuga suspecti, nec habentis bona, unde Creditori satisfact. *Ulad. D. I. A. 92.* vide *de Casibus, in quibus Nobiles captivari possint.* si quis puerum illegitimæ aetatis, aut Nobilem præmortuum evocari (nisi ignorantia excusat) vel statui fecerit: in homagio 200. flor. faciente, ad eorum tamen instantiam, ac protestationem, convincatur. *P. 2. T. 23.*

6. *Evocationes autem ratione Bonorum de juribus possessionariis hereditariis, vel impiognoratitiis Evocandi, fieri debent; non autem personaliter, aut de Domo solitæ Residentiæ, nisi in defectu priorum.* *P. 1. T. 19.* secùs Actor, ad instantiam Evoçati, in homagio

magio ipsius, sensu T. 24. P. 2. convincitur. Verum hodie id parum curatur. In actibus vero potentiarioribus, etiam ex officialatibus, in quibus hujusmodi actus patrati sunt, evocari possunt. P. 2. T. 19. omnis autem homo Regius, vel Palatinalis, Evocationem, vel quamcunque executionem faciens, in eodem Comitatu hereditatem nobilitatem debet habere: secus, si de Curia Regia, Scriba vel Notarius ejusdem, ad id fuerit per Judices ordinarios deputatus. *ibidem.*

7. Si quis Nobilium, durantibus Dietis, Conventionibus Generalibus, Octavis, vel Brevis, judiciis, aliquem in tali loco morte, vulneribus, verberibus, aut etiam verbali de honestatione afficerit; mox per solum Scribam seu Notarium Curiæ Regiæ, per aliquem Judicium ordinariorum, ad id destinatum, ad instantiam laeæ Partis, personaliter citari potest. Idem fieri potest in causa jurium pignoratiorum; cum pignoratorius coram Judice aliquo ordinario per Pignorantem, vel ejus Procuratorem reperitur: tunc enim ad collendam suam pecuniam, & remittenda bona, statim per eundem Judicem admoperi potest. Qui si pecuniam non levaverit; Citatus ad tertium, vel etiam ad præsentem dictem, respondere debet: ita tamen, si Actus

quoque copiam Litterarum impignoratitiarum, in continenti producere potest. P. 2.  
 T. 20. idem tenendum etiam in negotio juris hereditarii, quoad prohibitionem personaliem: dummodò *Prohibens*, & *Prohibitus*, coram Judicibus ordinariis, personaliter adsint: id quod fieri solet ratione potissimum indebitæ, & potentiarie detentionis Bonorum alienorum. Ubi si *Prohibitus* talia Bona, prædicta die tertia, ad se pertinere probaverit; tunc *Prohibens*, in æstimatione communi Bonorum eorundem, convincetur. *ibidem* extra quos casus, omnis Evocatio, nec non Bonorum *Statutiones*, *Reambulationes*, *Admonitiones*, aliæque judiciariæ executiones, per Regium, vel Palatinalem aut alicujus loci credibilis hominem fieri debent. P. 2.  
 T. 19. & 21. At hodie non per hos; sed per juratos Tabulæ Regiæ vel Judlium, & Jurassorem fit Evocatio: demptis Contradictoribus, qui tempore statutionis Bonorum, semet insinuarunt; sensu A. 30. 1723. vi cuius Præsidi Tabulæ, D. Personali facultas attributa est, certificatorias per juratum tabulæ Regiæ, exhibendi. Idem est quoad Tabulas *Districtuales*.

8. Fœminæ, viventibus Maritis, ratione quorumcunque actuum potentiariorum nos evos

evocantur; nisi violentiae, in Bonis ipsas concernentibus, patratæ fuissent, aut Tetricum officiò erga liberos suos perfungereatur. 1500.

A. 14. *ibidem*. A. 13. statuitur, ut ratione quinque Casuum, Evocationes semper ad 32. diem fiant, & talis Citatus, etiam per Procuratorem comparere possit; quem tamen evocare nunquam valebit. Notâ Infidelitatis condemnandus, personaliter, & non per Procuratorem, evocandus est. P. 2. T. 75. dicitur autem hic *Evocatio personalis*; quod Evocatus per se, & non per Procuratorem, comparere debeat. Evocationes verò ad Diætam, tanquam insolitæ, nullius sunt vigoris. 1618. A. 68. Evocationum, & superinde Relationum Copiæ, siue ullis litteris præceptorii, ex Capitulis, & Conventibus extradari Partibus debent. 1550. A. 58.

9. In omni porrò Evocatione, præsertim ratione actuum potentiariorum; tria expressè sunt *notanda*. Imò. *Persona*, per quam, & contra quam Causa proponitur. 2dò. temp̄s damni & injuriæ illatæ. 3tio. *Locus*, & Comitatus, ubi damna hujusmodi, vel injuriæ erant patratæ. *Civilista Actionis*, seu libelli actionalis requisita, sequenti Difficto exprimunt: *Quis?* *quid?* *coram quo?* *quo iure pe-*

re petatur? & à quo? rectè compositus, quisque libellus habet. Id quod etiam apud Nos sensu Articuli 30. 1723. hodie observatus. Quorum ratio est, ut Citatus sciat à quo, & quare conveniatut: item ut cognoscere possit, an Citatio facta sit, ad instantiam sui Adversarii? citra quam Judex in causis, privatorum utilitatem spectantibus, procedere nequit: uri nec pænam Emenda lingvæ, aliorumque Birsagiorum defumere; nisi Læsus protestetur, excipiat, aut debitam satisfactionem petat. arg. T. 23. P. 2. hic N. 5. cit. in fin. secus est, quando causa respicit utilitatē publicā, aut Judex ex officio procedit, uti in Criminalibus, viâ inquisitionis ex officio terminandis; ad mentem A. 66. 1618. & 38. 1655.

10. Actor, aliquem citaturus, debet primo secum reputare, ad quemnam Judicem Causa, quam movere vult, pertineat (qua dege vide de Foro competente) quō cognitò, vadat ad eundem Judicem, Partemque adversam citari petat. 2dō. observandæ sunt, ex Parte Citati, Certificatoriæ; an non aliquo vitiō laborent. Ucrūm Evocatio facta sic pro die Legali; quales non sunt dies Festi vel Dominici: An per Judicem competentem; qualis non est, si Citatus ipse Jurisdictioni Citantis non subsit; utrūm in loco, debito; qualis

qualis non est Ecclesia; ut habet *Kitt. C. 2.*  
*Q. 12.* an libellus *Actionalis* non contineat  
 aliquid factum, quod fieri eò modò, locò,  
 aut tempore non poterat: vel saltem fieri  
 non præsumitur; sensu *P. 2. T. 82.* an non  
 citatio per *alienos*; idest: nec per subditos,  
 nec per *Familiares Citati*, facta sit &c. in his  
 enim casibus excipere in judicio potest, &  
 causam condescendi facere. vide *de Admoni-  
 tionibus.*

## TITULUS XXXVII.

### De Excessibus Ecclesiastico- rum, eorumque Officialium.

Num. 1. **S**I Capitulum vel Conventus a-  
 etus potentiariorum de Bonis Ec-  
 clesiæ, vel Conventus *collectivè*  
 perpetrent; tunc tale Capitulum vel Con-  
 ventus, etiam *collectivo* nomine ad forum  
 competens citatur, & instar singularis Per-  
 sonæ sententiatur: exceptis *Tituli 44. P. 2. ca-*  
*sibus, homicidii nempe voluntarii, & delibe-*  
*rati, Criminis læsæ Majestatis, & Note Infi-*  
*delitatis*; in his enim seorsim quilibet puni-  
 tur. *P. 2. T. 46.* Confer hanc de *homicidio*  
 | *Exce*

*Exceptionem*, cum Titulo XIX. *Syntag.* & *Quætionem*, ibidem N. 4. positam, non solum *Authoritate*, sed etiam *lege nixus*, facile resolvest. Verum si certæ solum Personæ privato nomine, actus aliquos potentiarioris, de Bonis Ecclesiæ, patraverint; solum ipsæ Personæ ex loco delicti Commissi in judicium vocantur: præsertim si Patrimonia privata non habuerint. *ibidem.* singulari autem Persona Capitulari, in Emenda Capitis convictâ, aut refusione damnorum aggravatâ, & nec res mobiles, nec immobiles habente; tunc ex proventibus Beneficii Ecclesiastici, satisfactio erit impendenda. *P. 2. T. 47. A. 26.*  
1655.

2. *Officiales spiritualium*, sive *sæculares*, sive *spirituales* sint, occasione actuum potentiariorum in officialitatibus ipsis commissorum, *ex eisdem officialitatibus evocantur*: & si convicti fuerint, de prædictis Officialitatibus satisfactio administrabitur. *P. 2. T. 48. Ulad.*  
*D. 1. A. 24.* idque, sive violentus, & potentiarius actus ille, de commissione Domini, per officiale committatur, sive non *Praxis*. si tamen Domini se innocentes jurementô probent, Damnum Bonis suis illatum, possunt à suis officialibus recuperare. Qui si ad alios Dominos transirent profugi, sub pœ-

sub poena dupli homagii restitui debent. *Mat.*  
*D. 6. A. 34.* innuente. In recompensatio-  
ne tamen damnorum de Bonis Domini, sen-  
su D. 3. *Ulad. A. 46.* Domini etiam ci-  
tari debent: cùm nemo non citatus, in Bo-  
nis suis damnificari possit. Et sic intellige  
*A. 33. 1659.* Atque hæc accipienda sunt  
de officialibus tam Prælatorum, quam No-  
bilium quorumvis. *Praxis.* si officiales, aut  
servitores, expletō servitiō abire velint, an-  
te mensem Domino id significare debent:  
intra quod tempus, rationes eorum, coram  
Judice Nobilium, & undō, vel duobus No-  
bilibus, etiam per servitores denominandis,  
recipiendæ sunt. Demum nemo Prælatorum  
ob delicta Prædecessoris sui, jure aggravari  
potest: nisi Prædecessor adhuc vivens, evo-  
catus, & simul in Emenda Capitis convi-  
ctus fuisset; tunc enim homagium delinquen-  
tis, damnaque solvere tenetur. Bona pari-  
ter, résque mobiles à Prædecessore iniquè  
occupatas restituere jure mediante obligatur.  
*P. 2. T. 51.* Per Prælatos autem, intelli-  
ge hic Præpositos tam sœculares, quam re-  
gulares omnes. *P. 2. T. 49.*

TITU-

## TITULUS XXXVIII.

*De Excusatione Rationabili.*

**I**N litteris judicialibus, quas Bir sagiales vocant, clausula hæc ( si se rationabiliter non poterit excusare ) semper apponni solet; uti & in sententialibus, Adversario assignati solitis. æquum enim est, ut quis ex causa rationabili ad judicium non comparens, Bonis illicet, aut Capitaliter non puniatur *P. 2. T. 59.* Unde etiam *A. 32.* 1723. statuitur; ut sententiae in Tabula Distictuali, in non *Comparentes* latæ, ante 15. diem executioni non mandentur. Rationabiles autem cause non comprehendendi, pro parte in Causam attractæ, sunt sequentes: 1<sup>mo</sup>. si Reus Conventus, vel ejus Procurator gravi ægritudine detentus est. 2<sup>dō</sup>. vehemens aquarum inundatio, aut insolens tempestas: nec enim quævis sufficit. 3<sup>tio</sup>. Repentina Equi infirmitas: ubi alium præ inopia emere non potest. 4<sup>to</sup>. si locus judicij, aut iter periculis sit obseptum; vel si in manus latronum, aut Adversiorum suorum incidit: & his, vel similibus casibus, quod minùs compareret in tempore, impeditus; rationabi-

lent

dem tensesetur habere excusationem. P. 2. T. 59.  
 A. 32. 1723. modò excusatio rationabili fundamento nitatur. Vocati ad Congregacionem, si non venerint; per Comitem, aut Vice-Comitem in 12. florensis multantur: nisi ægitudine, senio, viduitate, orphanitate, Paupertate, vel arduis negotiis excusentur. Sigism. D. 6. A. 7.

## TITULUS XXXIX.

### De Fassionibus Universim.

Num. I. **P**ersona Nobilis, vero, ac legitimo successore tarens, seu *Ultimus heres*, non potest jure perennali, sine consensu Regio de Bonis suis quidquam disponere: imò nec illa oppignorare ultra communem aestimationem. P. 1. T. 10. Verum contra communem estimationem, in oppignorationibus jam inusitatam, observantur hodie Articuli 53. 1625. 90. 1635. 125. 1646. & 52. 1655. ubi conditiones litteris pignoratitiis insertæ, summâ integraliter depositâ, observari præcipiuntur. Unde immutata etiam est dispositio Titularum 63. 65. P. 1. in ordine ad Bona, pignoris titulô obligata: utpote quæ sensu A. 125. 1647. neque

*Consensu Regio, aut statutione indigent, neque ad communem estimationem, aut s. florenos restringuntur. Et hæc limitatio juris antiqui, per Citatum A. 125. facta, non solùm venit intelligentia de Bonis, extra collationem Regiam quomodolibet acquisitis ( de quibus liberam unusquisque habet disponendi facultatem ) sed etiam quoad avitica, vel quæ cuipiam à Rege, ob fidelia servitia obvenerunt: uti habetur A. cit. ab alienatione tamen eorundem perennali juxta leges antiquas adhuc regulandâ.*

2 *Fatentes in loco passionis adesse debent personaliter: nam ad relationem aliorum Capitulum vel Conventus credere, aut litteras superinde confidere non debet: & licet conficeret, exed in nullius erunt vigoris. P. 2. T. 16. Quod si verò Capitula vel Conventus, aut Judices ordinarii, larvatas quorumdam passiones scienter authenticarent, vel aliter falsas litteras conficerent; tunc veluti Falsarii & Perjuri punirarentur. Et Capitula quidem vel Conventus; in sigillis: Judices verò ordinarii seculares; in sententia capitali, nec non perpetua Bonorum, ac sigillorum, honorisque amissione condénavantur. Insuper frontibus, & faciebus ejusmodi Capitularium, hujus iniquitatis complicum, stigma sigilli igniti inurendum esset. ibidem. Quæ tamen pœna, relatè ad personas*

*spiri-*

spirituales, per potestatem Ecclesiasticam, vel  
præmissa degradatione, executioni mandanda es-  
set; vigore D. A. Ulad. A. 43. & 44. vide de  
Cognitione falsarum litterarum.

3. Fassio nulla, vel Inscriptio illegitima,  
vel invitè facta, aut fienda vires habeat; ubi  
invitè factam esse constiterit. 1471. A. 26.  
Fassiones autem sub Disturbiis ab anno 1604.  
factæ, vigorosæ sint. 1608. A. 18. Quod  
consensum Regium attinet, ultimus deficitus,  
de Aviticis, aut de Bonis seu titulo pe-  
rennali, seu inscriptiō, pure propter fidelia  
servitia per Collationem Regiam Acquisitiū,  
sine illo fassionem perennalem; imò nec pigno-  
ratitiam, ultra communem aestimationem, ce-  
lebrare potest P. I. T. 65. Confer hæc cum di-  
ctis N. 1. si tamen plures supersint, inter quos  
propter Consanguinitatem datur reciproca Bo-  
norū successio; inter eosdem celebrata fassio,  
non indiget Consensu Regio. ibidem. Uti nec  
statutio P. I. T. 63. Fassiones verò peren-  
nales, inter quoscunque alienos, seu mutuo  
sibi non succedentes, intra anni revolutionem  
statutio firmari debent. vide de Consensu Re-  
gio, & Articulum 26. 1715. ac verbo: de  
Bonis Aviticis.

4. Tam Maritus Uxori, quam etiam Uxor  
Viro, de cunctis Bonis, ac juribus possessio-  
niis,

riis, præcipuè per se acquisitis, vel aliter obtentis ( de quibus videlicet etiam Externis fateri possent ) liberam disponendi, ac satendi etiam perennaliter ( modò id fiat sine præjudicio liberorum, aut Fratrum, ac sine coactione ) habet facultatem. P. I. T. 110. imo jure impignoratio, factio inter Conjuges, simpliciter, id est: nisi ex causa evidenti, putata; si pecuniis Uxor, aut aliis rebus, à Parente, vel priori Marito, secum allatis, Bona vel emerentur, vel restaurarentur manifeste; nullius est firmitatis. *ibidem.* Puellæ in Capillis constitutæ, Fassiones sibi ipsis, successoribus, & Fratribus præjudicantes facere; nec Tutoratum minorum Fratrum gerere permituntur. P. I. T. 91. Orphani verò, infra 24. annos, Fassiones suas, perennaliter de juribus possessionariis factas, ante completos 24. ætatis annos, revocare possunt. P. I. T. 128. vide de Estate Puerorum: item de Admonitionibus.

## TITULUS XL.

### *De Foro Competente.*

Numb. I.

**Q**uoniam Judici, extra Territorium suum, jus dicenti, impunè non paretur: nam *Autho-ritas*

ritas, cuiuslibet *Judicis*, solummodo ad loca iurisdictioni sua subjecta se extendit. P. 2. T. 65. S. Ladi. l. 3. C. 16. idcirco pauca hic de Foro Competente annotare, non erit supervacaneum. Causa ex parte terminorum, quibus levari solet, est multiplex. *Ottavalis* generalium judiciorum : *Ottavalis Brevium* judiciorum : *Diatalis* : *Extra-ordinaria* : *Peremptoria*, sive summaria : *Compromissoria* : *serialis*, & *Extraserialis* : *Unius Terminii* &c. de quibus vide Kitt. C. 1. Q. 3. & Q. 8. sed hæc juri antiquo magis congrua. Jam enim stabilita, Vigore A. 25. 1723. continua per Hungariam (stabienda fors propediem etiam in Dacia) *Tabula Regiae* sessione ; & serie Causarum per A. 43. 1729. aliisque complures, aliter ordinata ; non est operæ pretium, iis ultrà insister.

2. Causa porro, ex Parte Fori, seu *Judicum* est quadruplex: immo. *Palatinalis* ; ut omnes causæ Fiscales, & Extraordinariæ. A. 18. 1574. item *Transmissiones* ex Regno Dalmatiæ. *Math. D.* 4. A. 12. de *Off. Palat.* 2dò. *Loumtenentialis*; ut omnes Causæ Brevium judiciorum, apud Kitt. hic notatorum : item quinque Casuum ; *Interceptiones*, & occupationes Castrorum ; *Transmissiones* omnium Regni Comitatuum. A. 2. 1555. item defen-

Etus seminis A. 21. 1566. & juxta A. 28.  
 1552. etiam Viduarum. 3tio. Curialis, seu  
 Judicis Curiæ; uti ordinariè jam omnes causæ  
 Defectus seminis, ac transmissionum ex Sclau-  
 nia. Vlad. D. 4. A. 6. Causa item Fatti ho-  
 noris. Et hæ dicuntur causæ speciales. 4tio. Pro-  
 to-Notarialis, & Consitatenſis, aliorūmque  
 Judicium inferiorum: quæ & communes nun-  
 eupantur. De quibus hic intrà; & alibi suis  
 locis.

3. Clericus à sacerdotali in Foro Ecclesiasticoz  
 ſecularis verò à Clerico in Foro ſeculari con-  
 vincantur. Colom. Lib. I. C. 6. Injuria aut  
 Damno affecti, à Judice ejusdem loci; aut  
 si injuriantes Rustici fuerint, ab ipsorum Do-  
 minis judicium postulent, & gradatim à mi-  
 noribus Judicibus, ad Maiores appelleat. Cau-  
 ſas autem propria Authoritate per ſe ipſos. vi-  
 dicare non poſſunt, nec ſatisfactionem ſibi  
 impendere: nam aliás in facto potentiæ con-  
 vincentur. Cum neminem licet, nulla poſtu-  
 lante iuſtitia, propria Authoritate dijudicare. Si-  
 gis. D. 2. 1405. A. 8. Judicium verò contra  
 Colonos, ratione cujuscunque facti, à Dominis  
 ipsorum Terreſtribus petatur: qui ſi denega-  
 verint, citetur iudicem Domini in ſedriam Co-  
 mitatus, teneanturque Comes, Vice-Comes  
 & Judium ſimplicem iuſtitiam administrare,

ſub

sub amissione officiorum. *Sigis. D. 3. A. 10.*  
*Illi vero, qui nimia, & injusta Telonia exige-*  
*rent, à Comite, vel Vice-Comite illius Co-*  
*mitatūs, requisiti, teneantur Privilegia sua de-*  
*talibus Teloniis producere, neque plus, quam*  
*in eis habentur specificatum, exigere. secūs*  
*facientes, iti & illi, qui pontes, & vias, qua-*  
*rum gratiā Telonium ipsis concessum est, non*  
*reparant, carentur, & convincantur primō in*  
*100. deinde vero 200. florenis, tertio autem*  
*in ammissione vilæ, redemptibiliter tamen com-*  
*muni aestimatione. Et hæc Birsagia Vice-Co-*  
*miti, & Judicibus Nobilium cedant; jura ve-*  
*rò possessionaria Filco Regio. A. 11. & 12.*  
*1566. & D. 6. 1435. A. 23.*

4. Nullus omnis hominum, per simpli-  
 cem querelam, nisi per viam appellationis, à  
 suo Diæcesano, Cauham suam, in Præsentiam  
 aliorum deducere possit: secūs ab Actione,  
 & Acquisitione decidat, ac insuper in *florenis*  
*40. Auri, per Comitem, vel Vice-Comitem,*  
*aut Judicium irremissibiliter convincatur. Ulad.*  
*D. 2. 1495. A. 10. Comites vero perpetui*  
*soli Regis judiciō conservantur. 1486. A. 21.*  
*Extra Regnum autem nemo juri stare tene-*  
*tur; etiamsi Judices Regni ordinarii cum sua*  
*Majestate fuerint. 1536. A. 41.*

5. Litteris suæ Majestatis, aut Judicium or-

dinariorum, vel per Notarium requisitus, ta-  
men attestari nolens de facto aliquo; res suas  
64. florenorum amittat: his verò carns ca-  
piatur, & luat in corpore. Quam poenam  
Vice-Comes potest ad Mandatum, tremissi-  
biliter exequi. 1563. A. 81. Temstarii Tur-  
batores proventuum Regiorum, in præsentiam  
Palatini evocentur, ab eoque, comperta rei  
veritate, Capitis poenam puniantur 1609. A. 16.  
Hæc jure potissimum veteri, de Foro Com-  
petente in Communi: nunc aliquid etiam jure  
novo, ac in specie dicendum venit.

6. Quamvis Causæ Articulares, & Fori Ex-  
traordinarii, Comitis Palatini: defectum item  
seminis, jusque Regium tangentes, sensu T. 30.  
P. 1. Curia Regia judicatai hactenus subjectæ  
faissent; deinceps tamen quævis Causæ Tabu-  
læ, ac Fiscum etiam Regium seu activè, seu  
passivè tangentes, uti & Neo-Aquisticorum,  
in Tabula Regia ( salva ad septemviralem ap-  
pellatione ) terminentur. Ita tamen, ut  
Causantibus, remotius habitantibus, quatuor  
ad minus Quindenarum terminus, isque pro-  
certa die assignetur. A. 26. & 19. 1723. Ex  
his patet, productionem Privilegiorum, seu lic-  
terarum Acquisitionalium, juriūmque posses-  
sionariorum, quantum ad proprietatem, aliás-  
que Causas speciales, olim sensu T. 52. P. 2.  
12.

A. 9. 1486. A. 54. 1492. A. 28. 1715. ad Forum Palatinum, aut Curiale peculiariter pertinentes; hodie ad Tabulam Regiam revocari. Hoc tamen statuto: ne hac in Causis alterius Fori prima Instantia Judicem agat. A. 44. 1729.

7. Ad Forum Proto-Notariale in Partibus pertinent Causæ statutionis; ubi Donatarius puram statutionem in Bonis impetratis habens, ob renitentiam possessorum, Bona adiuste non posset: liquidorum debitorum; ubi in obligatoriis nullus Judex specificatur, & summa purè Capitalis 1000. florenos excederet; de minori enim summa Comitatus judicabit. Causæ item Divisionis, & successionis Bonorum mobilium, & immobilium, in diversis Comitatis existentium, ac Rectificationis earundem: contractualium; ubi non de valore Contractus, sed secundum contractū, id est: ad ejus impletionem proceditur, & in quibus nullus Judex specificatus: insuper causa, in quibus judiciaria remedia ex contractu, vel de lege præscissa essent: Reexecutionis Bonorum, in diversis Comitatis existentium: Turbatorum, & non Admittentium judiciarias Proto-notariorum execuções: Rationum reddendarum à Tutoribus, & Curatoribus Bonorum in diversis Comitatis sieuatorum: Acquisitionis rerum mobilium.

um, Legatorum, Dotum, Paraphernorum, Depositorum; licet quidem sine pœnis, tamen cum refusione expensarum. Item ubi Contradictor suo, & Hæredum nominibus, reali actioni locum faciens, sine Hæredibus decedit: denique ultra Prænotatas Causas, aliæ etiam in Generali Regni Decreto contentæ, Forum Protonotariale quomodocunque concernentes, si sententiæ convictionales summam 12000. florenorum non excedant; non obstante Appellacione, debitæ executioni, per Protonotarios in Partibus, mandari possunt, si autem summam illam excedant, tunc Appellatio intra Dominium erit admittenda. A. 28. 1715.

8. Quia verò quatuor Tabulae Districtuales, loco judicatūs Protonotarialis, constitutæ essent; deinceps universæ Causæ, quæ hactenus per Protonotarios judicatae sunt; ad Forum Tabularum Districtualium erunt referendæ. Ita statuicur A. 34. 1723. quas causas ne hic repetamus, vide suprà numero immediatè præcedente recensitas. eâ tamen hæc modalitate intelligi velim; ut in quo Districtu caput Bonorum litigiosorum erit, ibi Causa Forum sortiatur: & in diversis Comitatibus sita, Tabula Districtalis: in eodem verò Comitatu adjacentia, judicet Comitus. A. 31. 1723.

9. Quamvis olim Judices Pedanei ( quales sunt

sunt Comitatenses, aliquique præter ordinarios.) ultra 100. florenos non adjudicarent; argum.  
T. 7. P. 3. eorumque activitas pro diversis temporibus & Causis, diversimodè limitatur; hodie tamen Authoritas eorundem longius extensa est. Jam enim ad Forum Comitatense spectant immo. quidem vigore Artic. 28.  
1715. Cause Criminales, cujuscunque generis, ex quolibet delicto; ut habet praxis ( exceptis tamen læsa Majestatis, Notæ Infidelitatis, & quinque Casuum ) item Causæ violentiarum, Divisionis & successionis Bonorum, in eodem Comitatu existentium: Acquisitiones item Damnorum, vituperiorum, dehonestationum, Repetitionis Litterarum, fugitorum Colonorum, & servorum; item Impensionum penes Colonos, & servos, Rem ambulationis Metarum, Jurium pignoratiorum, & Decimatarum. *ibidem.* Et quamvis eodem 4. statuatur, ut in Causis Bonorum impignoratiorum, & Acquisitionis liquidorum Debitorum, non possint Partes procedere in sedibus Comitatum, ultra sumam 12000. florenorum, purè in Capitali computatam; Atamen 35. 1729. deinde conclusum est, ut Causæ pignorum, in eodem Comitatu adjacentium, etiam ad summam indefinitam in Comitatu adjudicari possint. Et sic derogatum:

tum est T. 7. P. 3. & A. 7. 1504. ubi Activitas sedrie Comitatensis ad 100. duntaxat florenos, idque sine poenit. exigendos, restringitur: Item A. 166. 1647. 41. 1649. & 33. 1681. Quibus, primo quidem ad 600. secundò ad 1200. tertio. ad 6000. Judicatus Comitatensis restitus erat.

10. 2dō. ad Forum etiam Comitatense spestant Causæ Dotum, Paraphernorum, & universim rerum mobilium, etiam legatarum, quæ 600. florenos non excedunt. A. 126. 1647. In Causa liquidorum Debitorum, si summa Capitalis sit infra 1000. florenos, Judices Comitatuum procedunt. A. 28. 1715. vide N. 13. infrā. Quod si verò Dos, Paraphernum, vel quæcunque res mobilis, valorem 600. flor. norum excedat; tunc erit fori Protonotarialis. Art. Cit. ac hodie Tabulae Districtalis. A. 34. 1723. item Causæ Bonorum, contra contradictionem occupatorum. Math. Regis D. 6. A. 22. & 27. 3tiō. Ad Forum Comitatense pertinent Causæ Siccorum Teloniorum. A. 34. 1625. 4tiō. Reparationis viarum, & Pontium. A. 30. 1599. 5tiō. Contractuum; ubi Partes ita conveniunt. 6tiō. viariorum Birsgiorum, seu Mulstarum; de quibus vide de Birsgiosis. 7mō. Causæ Tutelarum, & Curatela- rum, usque ad summam indefinitam. A. 32. 1659.

1659. Ita tamen, si bona sint in eodem Comitatu: secus enim spectabunt ad Forum Districtuale. A. 28. 1715. & 34. 1723.

11. 8<sup>vo</sup>. Causæ contra Dimissores Malefactorum, aut Terrestres Dominos, Urbaria excedentes, credæ. A. 35. 1729. 9<sup>mo</sup>. Causæ Revindicationis Bonorum, per simplices Dotalistas à successione alienis traditorum: item contra officiales, & servitores, reddendis rationibus obnoxios: Denegationis Depositorum, Revindicationis Bonorum Communium ab alienatorum, Redemptionis à non indigenis: Causæ contra S. Sedis sententias exequi Nolentes: Causæ viâ A. 69. 1715. contra Morosos in reparandis Communibus ædificiis Compossessores, suscitatæ. A. 29. 1729. 10<sup>mo</sup>. Causæ Quaitalitorum: Quartarum Decimallium, pro Parochis, aut aliis Ecclesiasticis excindi solitarum: successionis Sylvarum, & quæ usu Comitatuum, illic ventilari conservissent.

12. Et quoniam sedes judiciarie Comitatuum continuo celebrati nequeunt; hinc exceptis Causis Criminalibus, nec non talibus, quæ Collectivè Comitatū negotia tangunt: item contra Dimissores Malefactorum, aut Terrestres Dominos, Urbaria excedentes erigendis; Cæteræ omnes Causæ etiam in Partibus

bus, per Vice-Comites, ac respectivè Juges Nobilium, decidi possunt: Appellatione ad sedem judicariam Comitatus, partim intra, partim extra Dominium, salva permanente. A. 35. 1729. vide de *Appel.*

13. Vice-Comes, in Partibus, in Causis liquidorum Debitorum ad summam 12000. flor. venorum, purè in Capitali computatam; in Causis vero Pignorum, usque ad summam indefitam: Judex Nobilium sive in liquidis debitibus, sive Pignoribus, tantum ad summam 3000. flor. venorum, respectu pariter Capitalis computandorum, procedere valet. Cit. A. 35. 1729.

Quò derogatum vides A. 33. 1681. ubi ad sex duntaxat millia Forum Sedrie Comitatus extendebatur. In Causis infra 200. flor. venos, sive Liquidorum Debitorum, aut Pignorum, sive Divisionum, successionum, aliarumque id genus Causarum; soli Juges Nobilium, & non Vice-Comites procedunt. A. 35. Cit. Causæ tamen violentiarum, cum desumenda pœna Violentiae, soli Vice-Comitum judicati subjacent. *Ibidem.* Quamvis autem sententia, in Tabula Districtuali, per non Comitum, pronunciata, 15. diebus juridicis ab executione suspendatur; A. 32. 1723. hoc tamen Beneficium non competit, in Foro Comitatensi sententiatis. A. 35. 1729. confer hæc cum Tit. de *Appel.*

14. Forum Ecclesiasticum olim concernebant Causæ mysteriorum, & Def. Etūs Sacramentorum: contra suspectos de Fide, & hæresi. item Dispositiones testamētariæ, earumque accessoria, uti & Matrimonia: Causæ Dotum, Paraphernorum, Quartalitiorum; ubi non intentantur pro hæreditate possessionaria adipiscenda: item Decimæ Reales, & Personales, earumque accessoria, Usuræ: Causæ item viduarum, & Miserabilium Personarum, ubi non agitur pro jure possessionario acquirendo: Causæ Fidei violatæ, & omnis Perjurii: item Causæ quarum finis tendit ad correctionem pro peccato: denique Causæ omnes, in quibus incidit quis in excommunicationem: sive ab homine, seu à Canone latam. *Math. Regis D. I. A. 3. 1462.* conformiter ad *Decr. Sigif. 2. A. 14. Matth. 2. A. 17. Ulad. I. A. 45. & 46. item 3. ejusdē Ulad. A. 60. 61. 62. 63.* vi posteriorum prohibentur Ecclesiastici in suo Foro judicare Causas profanas, ac juris possessionarii. *P. 2. T. 52. Secūs in estimatiōne talis juris possessionarii per Judices Regni ordinarios condemnandi. A. 62. Cit.*

15. Ex his Causis nonnullæ jam ad Comitatum translatæ sunt, sensu *A. 16. 1647. ibi: omnium actuum potentiariorum majorum, & minorum: item violationis sedis, etiam ex parte Clericorum: Dotum, Paraphernorum, Quartalitio-*

talitiorum, Decimatum, nec non Casuum P. I. T. 9. declaratorum. Et aliæ his similes profanæ juxta ritr. Ulad. D. 3. AA. in Foro sacerdotali videntur, imò vigore A. 31. 1638. ac 70. 1618. (ubi etiam statuitur, ut tempore messis, Belli, vindemiarum, generalium Regni judiciorum, aliorumque iurisdictiorum, præter Causas Matrimoniales, nullas agitent) universæ Causæ exceptis duntaxat *Matrimonialibus*, ad Mandata Declinatoria in forum sacerdotiale transmitti debent. Mandatis tamen Declinatoriis non est obtemperandum, postquam in Causam attritus, post receptionem parium in judicio Ecclesiastico in disputationem se intromittendo, deliberationem recepit. A. 13. 1630.

16. Causæ nihilominus Matrimoniales, earumque accessoria: item mysteriorum Fidei: testamentariae dispositiones cum suis accessoriis (quantum ad solemnitatem, & Autenticationem testamentorum attinet A. 15. 1647.) aliquæ Causæ spirituales, aut quæ lege positiva, & sacris Canonibus conformi, exceptæ non sunt; & in quarum usu, juxta Sac. Canones hactenus quoque erant: vel quarum principale est Fori Spiritualis (nam accessorium debet sequi Forum sui principalis. P. 2. T. 52.) etiam bodie ad judicia Ecclesiasticorum, juxta civitas leges, spectare dignoscuntur. Ad quorum

rum executionem, Judices Civiles, aut Comitatenses requisiti, concurrere tenentur. A. 25. 1552. Vide Titulum 9. Prolog. ubi improbatur statutum sacr. Canonibus contrarium; præterquam in Causis profanis, latum. Ceterum nullus extra Regnum, etiam Authoritate litterarum Apostolicarum, neglecto suo Diaconato; in Curiam Romanam, vel Præsentiam Nuncii Apostolici, aut Archi-Episcopi adeat, vel citetur; nisi per viam appellationis A. 93. 1498. A. 45. 1492. vide de his Plura, verbo: de Immunitate Ecclesiastica. De Judicibus, eorumque officiis. ac de sede Dominali. His inter se collatis, facile perebit; an, & quæ causæ sint Fori mixti.

# FINIS PARTIS PRIMÆ.



and the second, which I have, the Comi-  
tess of Bedford, a manuscript in the Na-  
tional Library at Lambeth, a copy of  
which is given in full. A few words of  
introduction will suffice. The manu-  
script is in two volumes, folio, written  
in a clear Gothic hand, with some  
decorative initials. The first volume  
contains the text of the *Book of the  
Cure of All Diseases*, and the second  
volume contains the *Book of the Cures  
of the Soul*. The title of the first  
volume is as follows:

H E L V E T I  
B R A V I S

BOOK OF THE CURE OF ALL DISEASES.



# SYNTAGMATIS JURIS UNGARICI PARS SECUNDA

*Complectens peculiares unà  
TRANSYLVANIAE LEGES.  
TITULUS PRIMUS.  
De Gratia Principis, alio-  
rumque.*

Num 1. **T**riplex Gratia Principis con-  
siderari potest. 1. quæ Cri-  
men læse Majestatis, aut No-  
nam infidelitatis incidentibus; 2. quæ simili-  
cibus malefactoribus; uti sunt fures, predones,  
&c. 3. quæ sententiatis, ob aliquem actum ma-  
joris potentiae, à Rege indulgetur. Per gratiam  
primi generis, omnia Privilegia ipsius condéna-  
ti reviviscunt; quantum scilicet ad hæredes,  
post impetratam gratiā, directe ab eo descen-  
dentes. P. I. T. 20. nisi bona jam alteri collata  
essent, aut in litteris grationalibus sola vita  
indulgeretur; aut simul cum bonis quidem; sed

A

cum

cum exceptione aliqua, illis clare inserta. *I-*  
*bidem.* Huc facit *P. I. T. 14. & 16.* Ex qui-  
bus patet, hujusmodi gratiam habere vim  
*nove Donationis*, ipsi Notorio factæ, eūinq;  
fieri quasi primum *Acquisitorem Bonorum re-*  
*stitutorum.*

2. Gratia secundi generis, illis conceditur,  
qui per *Tit. 15. P.I.* Caput solummodo non  
item Bona, propter malefacta sua amittunt:  
ac proinde Bonorum gratiâ non indigent, ve-  
rûm solius vitæ. De quibus vide verbô: *Ca-*  
*pitalis sententia.* Hæc gratia denegatur homi-  
cidium voluntarium, ac deliberatû patrancibus,  
cujuscunque conditionis, ac præminentiaz e-  
xistant. Utī habetur *A. 28. 1471. A. 51. 1486.*  
ubi nec *accorda* admittitur in homicidio *delibe-*  
*rato.* Idem habetur *Ulad. D. 1. A. 82.* Item  
*A. 38. & 63. 1563.* nisi ( ut in postremis ad-  
ditur ) Reus cum partibus concordet, & ex  
ex rationabili causa, Rex de suprema potesta-  
te, gratiam concedendam judicet. An ve-  
rò interveniente *accorda*, & quando Reus in-  
digeat Gratiâ Regiâ; vide Verbô: *Capitalis sen-*  
*tentia.* N. 11. Nec habentes Jus Gladii, Gra-  
tiam vitæ conferre malefactoribus possunt: i-  
mò si eos impunè dimittant, aut elabi sinant,  
tunc Damnificati præter homagium dimissi (*A*  
*40. 1563.*) pro suo *interesse* in Comitatu con-  
tra

tra Dimissores agere, ad amissionem verò *Juri*  
*s Gladii, & officiorum, Fiscus Regius coram*  
*Palatino procedere potest: Gratiarum in vi-*  
*ta dispensatione, soli Regiae Majestati relictæ*  
 1715. A. 48. quamvis nec *Gratia Regia*  
*illis suffragari possit, qui Executores Judiciarias*  
*Sententiæ occiderent: A. 30. 1543. Ut nec*  
*Amissoribus finitimorum caltrorum, nisi acce-*  
*dente Regni Consensu. Ulad. D. 3. A. 42. vi-*  
*de etiā A. 26. 1655. ubi relapsis in priora sce-*  
*lera, negatur *Gratia Regia*. Cæterum salva*  
*semper in his manente supra Regis potestate;*  
*ut innuit Kitt. C. 9. Q. 29. & A. 48. 1715.*

3. De gratia tertii generis agitur P. 2. T. 57.  
 ibi: *Gratia Principis non de homagio, vel tertia*  
*parte Bonorum Actori cedente; sed de Capitali*  
*duntaxat pœna, ac duabus partibus Bonorum,*  
*Judici cedentibus patrocinatur.* Imò si cau-  
 sa ventilata fuit coram Palatino, *Gratia Re-*  
*gia* nec quoad partes Judiciarias suffragatur;  
 sed eadem subjacebunt liberæ ejusdem disposi-  
 tioni. *Ibidem*, si tamen Condemnatus in Ca-  
 pitali sententia, per captivitatem in manus Ju-  
 diciarias inciderit, tunc *Gratia Regia illi, jam*  
*in captivitate existenti facta, nec ad salvandum*  
*caput suū suffragatur: nisi priùs cum adversario*  
*suo concordet.* *Ibidem* cum quo si ante sen-  
 tentiam concordare potest, nec erit illi neces-  
 sitas

faria Gratia Regia. P. 1. T. 16. vide de *Concordia litigantium*. & de *Admonitione Num.* 4. Contrarium habetur quibusdam horum, *Sigis.* *Reg.* A. 5. 1405. Cæterum, *Decretum Tripartitum* derogat legibus prioribus contrariis; id quod acceptatum, & confirmatum est. 1514.

4. Porro hujusmodi Gratia, in verbo Regio data, redigi solet in litteras *Grationales*, quæ per Cancellariam Aulicam expediuntur: quales habentur in *Corpore Iuris Hungarici*, sub *Sigismundo*. Demum sicut alia Privilegia, & Donations Regiæ, quibus *Grationatus* intra anni spatium, suo modo non utitur, expirant; juxta P. 2. T. 12. ita etiam hæc Gratia, nisi quis illâ utatur, intra unū à *dato annum*, cum suo Adversario concordando, vigorem omnem amittit. P. 2. T. 57. Quod Transilvaniam attinet, licet iisdem feré hac in re legibus utatur. vide de *legibus Transilvaniae* infrà adducendis.

## TITULUS II.

### De Hæredibus, & Postritatibus.

*Num.* 1.

**Q**uamvis Jure communi, Appellatione *Posteriorū*, omnes etiā *posthumī*, seu qui post mortem

tem Patris nascuntur, Patrique, aut Matri in Bonis succedere soliti, tam Mares, quam foeminae intelligantur: *Prolium* vero nomine, cum filii, cum filiæ, jam nati vel natæ (posthumis exclusis) significentur: *Liberorum* autem nuncupatione, & filii, & filiæ, item Nepotes, & Neptes pariter contineantur: de approbata tamen Regni Nostri consuetudine *Hæredes* dicuntur tantum filii legitimi, qui Iuribus paternis Hæreditariis succedunt, filiæ vero appellantur *posteritates*. Quamvis & hæ, saltem impropriè, hæredes dici possunt; quando scilicet Bona concernunt utrumque sexum æqualiter. P. 1. T. 17.

2. De Hæredibus universim observandum  
 1<sup>mo</sup>. Ubi Tutor de mala Tutelæ administratione suspectus, ac propterea officio motus, ante causæ decisionem moritur; tunc Hæredes, & successores ejusdem respondere, ac satisfacere tenentur. P. 1. T. 125. 2dò Hæredis institutio licet testamento inserta non sit, illud tamen nullatenus vitiat. A. 27 1715.  
 3<sup>ro</sup>. Hæres, seu successor indubitatus, absq; ullo Juris processu, Bona apprehendit. P. 1. T. 67. id quod etiam ad res mobiles extenditur.  
 A. 56. 1655. ut si alter Fratrum Divisorum moriatur absque Hærede, Frater superstes, Hæreditatem defuncti, mediante divisione obtin-

eam (lege De Dote. n. 5.) statim adire potest, de quibus vide plura verbo: *Conservator Litt.* præfertim N. 5. quæ autem Bona, & Hæreditates concernant utrumque sexum; habes verbo: *de Bonis Jus Fæminum &c.* Item *de Divisione Bonorum*, ac *de Successionibus. &c.*

## TITULUS III.

### *De Homagio , ac Marcis Homagialibus.*

Num. I.

**Q**uoniam de Homagio (ut loquitur P. 3. T. 5. ac Marcis Homagialibus mentio sæpen numero incidit; sciendum est, dupliter posse accipi Homagium: 1<sup>mo</sup> strictè pro *Fidelitate* debita soli Principi: ita ut hæc sit semper præferenda illi, quam aliquis subditorum, Principe inferiori cuicunque præstat. Unde si Herus, aut Dominus tuus terrestris erga Principem fiat infidelis; tu relicto illo, Principi adhærere obligaris. 2<sup>do</sup>. Sumitur Homagium Jure Hungarico, pro *Multa*, vel *Aëstimatione homicidii*; vi cuius homicida, ne *Talionem* subeat, caput suū redimit: idque præter alias poenas. P. 3. T. 5. & hæc redemptio tunc habet locum, quando homicida vel non

non est in manibus Judicis, aut Adversarii ;  
vel homicidium non erat deliberatum; secus  
enim (*nisi gratiam obtineat, vel cum Altere  
concordet*) pœnam capitalem subire debet. Ibi-  
dem.

*Quar.* An igitur pro homicidio etiam *Cas-  
uali*, solvendum sit homagium? R. dupli-  
citer posse intelligi *Casuale*. 1<sup>mō</sup>. prout nulla-  
tenus est *voluntarium*, aut *culposum*, ut si quis  
rei licitæ det operam, omnemque adhibeat,  
prudentum judicio diligentiam, ne cuiquam  
in vita noceat: per accidens tamen, & pror-  
sus *casualiter* alterum occidat. 2<sup>dō</sup>. prout est  
*voluntarium*: saltem indirectè (ut loquuntur  
Theologi) & in *causa*: ut si quis nolit quidem  
præmeditatè alterum occidere; tamen vel non  
adhibet cautelam sufficientem, vel actionem  
exercet sibi prohibitam, ex qua facile homi-  
cidium sequi possit. Ut si in loco, homi-  
nibus frequenti, jaculeris, vel sceminaris præ-  
gnantem percutias, vel vulnus alteri inferres,  
præsertim sclopō; non item necem intendas &c.  
homicidium *Casuale*, 1<sup>mō</sup> modō sumptum, non  
solet cuiquam, seu ad culpam, sive ad pœ-  
nam imputari; ut communiter censem *Canonistæ*,  
ac *Civilistæ*: at 2<sup>dō</sup> modō sumptum, saltem  
quoad certas pœnas imputatur; qualis pœna  
est etiam *persolutio Homagii*. Ut arguitur præ-

ter dicta hic N. 1. etiam ex S. Stephani lib 2.  
c. 13. ubi pro homicidio casuali, decem auri pen-  
se determinantur: ceterum Casualitatem homi-  
cidii probare, incumbit homicidæ, nisi aliun-  
de certum sit. Exempla horum passim occur-  
ruat in utroque Jure. Sæpe enim habetur cul-  
pa Juridica, ubi nulla est Theologica, seu ia  
Conscientia: & quod deficit in foro fori, sub-  
sistit in foro poli.

2. Quod marcarum diversitatem attinet, quemadmodum etiam de iis, quæ homagii no-  
mine veniunt; dictum est verbô: de Aequali-  
bus spiritualium, & secularium Lib. quibus  
adde Marca argenti, cuius valor olim facie-  
bat flor. 6. denar. 50. uti habetur. A. 33. 1523.  
deinde flor. 6. demptis denar. 25. Marca de-  
mum auri facit flor. 72. P. 2. T. 73. de Mar-  
cis & homagiis Transylvanicis, vide infrà da-  
legibus Transylvanicis. poena homagialis Civi-  
um, est eadem, quæ Nobilium. P. 3. T. 9.  
Rusticorum in Hungaria, homagium facit,  
flor. 40. P. 3. T. 26.

3. Homagium sumptum pro pena, aliud  
est integrum seu mortuum, aliud vivum seu  
dimidium, quando scilicet solum in medietate  
exigitur; pena verò homagialis, præter homici-  
dium, fertur in his casibus. immo contrz Evo-  
catores, Pupillorum: si quis nempe Orphanos  
illegiti

illegitimiæ ætatis, propter actum potentiarium  
in Jus vocet. P. 1. T. 132. 2dò si quis Nobilem  
Juri statuendum patierit. P. 2. T. 23. 3tiò con-  
tra Perjuros, seu Fidefragos. P. 3. T. 30. 4tè  
siquis in Judicio, *Infantiam* contra alterum  
allegaverit, & in proba defecerit. P. 2. T. 36.  
5to. Contra *Fobagones*, & Familiares igno-  
biles propter actum minoris potentiae. P. 3. T.  
26. 6tò. qui Malefactores quoscunque à se  
interceptos, non habendo autoritatem eos  
puniendi, Magistratui competenti non assi-  
gnant, sed apud se ultra triduum detinent,  
aut abire sinunt; eorundem homagium persol-  
vunt. P. 3. T. 32. 7mò Nobilis Rusticum ver-  
berans, aut vuluerans, vel in Bonis ei vim in-  
ferens, præter pænam violentiæ ( que inter  
*Nobiles*, 100. respectu *Ignobilis* violentiam  
patrantis, 40. flor. facit ) etiam ad homagiu-  
m Rustici condemnatur. idque pro parte Do-  
mini terrestris Rustici damnificati. P. 3. T.  
31. 8. siquis colonum alterius abducatur; præ-  
ter alias pænas, homagium abducti solvere ju-  
betur A. 28. 1547. sicut & ille qui profugum  
restituere nollet. Mat. Reg. D. 6. A. 39. 9nò.  
Evaginans in furore gladium contra alterum  
licet illum non laedat, medium homagium pen-  
dere compellitur. S. Steph. Lib. 2. c. 49. utrum  
autem *Ladentis*, an *Lati* homagium persol-

vendum sit, non satis liquet, loquendo universim, in casu tamen homicidii, ordinariè occisi, non occisoris homagium dependitur. vide de pænis homagialibus plura suis locis.

## TITULUS IV.

### De Homicidio, ejusque pænis.

Num. 1. **D**E Homicidio *Casuali* ( quantum ad propositū nostrum). Titulō præcedente; de *necessario*, quod in sui defensam infertur, verbo: *de Defensa &c.* de Gratia danda, vel non; actum est supra Titulō 1<sup>mo</sup>. Nunc istud innuo, quod si accedat *specialis circumstantia* quoad Personam occisam, aut modum occidendi; tunc vocetur *homicidium qualificatum*, & quidem occiso Personæ sacræ (modò sit *illegitima*) *sacrilegium*: si per venenū clām portetum, *veneficium*: si per insidias, *Insidiosum*: si sub specie Amicitiæ, *Proditorium*: si per aliquem pretio conductum; *Assassinum*: si spolii causa, *Latrocinium*, vel *Prædocinium*: si nulla harum circumstantiarum adsit, tunc appellatur *Homicidium simplex*, si fiat ex *præmeditatione* (quæ in rixis non præsumitur nisi

nisi aliunde constet, aliquem ex hoc fine rixas quæsivisse) aliquo tempore occisione præcedente; dicitur *deliberatum*, vel *præmeditatum*. Ac licet omne præmeditatum homicidium sit *voluntarium*, non tamen vicissim omne voluntarium est etiam *præmeditatum*, aut deliberatum: nec poenæ impositæ homicidio præmeditato, sunt extendendæ ad voluntarium. His adde *Infanticidum*, *Matricidium*, *Parricidium* &c. quibus vocabulis certarum Personarum occasio demonstratur. quamvis enim *Parricidium* ja de quovis homicida dicatur; olim tamen teste *Tullio*, de solo Patris, Consangvinei, vel Popularis sui *Interfectore* dicebatur. Unde pro varietate patrati homicidii variæ etiam poenæ statutæ sunt; ut *Gladii*, *Rota*. &c.

2. Homicidium deliberatum patrans, cuiusunque sit statu, & præminentia, omni redemptione semota, interficiatur, ubicunque, & quandounque, repertus fuerit, sine spe, & Gracia suæ Majestatis Regiae (per hoc tamen non tollitur successoribus potestas Gratiae dannæ) nemisque ad castra, domosque suas, Malefactores ejusmodi admittere audeat: sub poena de infidelibus expressa. *Ulad. D. 11. A. 82. 1492.* in Articulo tamen mortis, Rex conferit Gratiam. *A. 38. 1563.* occidens Nobilem, & de eo convictus, poenâ mortis, & non bonis  
mul-

multetur (nisi cum Adversario concordet) cito-  
tatūsque ad 25. diem comparere teneatur. Si  
autem minus justè contra eum procedatur,  
Actor in emenda capitis convincatur. A. 28. 14.  
71. Homicida citatus personaliter (uti citari de-  
bet, contrà quām in A. 13. 1500. Decretum,  
ubi etiam per Procuratorem in 5. casibus po-  
terant comparere) & non comparens, prescri-  
batur à Comitatu, tanquam convictus, quem  
fugientē recipiens, nec ad Requisitionē (secūs, si  
nulla præcedat Requisitio) Comitatūs, in manus  
tradens, pænam capitis defactō incurrat. A.  
38. & 39. 1563. Detenti tamen in vinculis,  
appellazione & Novo Judicio gaudent. A. 41.  
eiusdem anni. In loco delicti, per quoscun-  
que liberè capiuntur, & debitā pæna afficiun-  
tur. P. 1. T. 9. de Pæna homicidarum, qui  
olim Notans infidelitatis incurserunt, vide ver-  
bo: *Altus potentiarii n. 9.* item A. 11. 1723-  
ubi occisores Fratrum, & consanguineorum; i-  
tem Patricide, Matricide, Mariticide, Uxo-  
ricida, ac Infanticide, uti & *Judicium Re-  
gni ordinariorum*, ac *Familiarium* eoru-  
dem, vel servitorum, per se, vel per alium,  
*Interfectores*, capitali pænæ, cum exaspera-  
tione supplicii subjiciuntur. Si autem Milites,  
in Regno Bone possidentes, aliquem occidant,  
sunt prolibus eccisi, aut vidua, ex portione de-  
lin-

inquentis, homagium persolvatur, Judicio eorum criminali, ad Tribunal Militare pertinen-  
te. *ibidem.* Porro Gladio evaginato aggredi-  
ens alterum; vel necem, vel vulnus lethale  
intendisse præsumitur. *P. 3. T. 21.* si Iæsus  
post duos, tresve dies moriatur; tunc Perito-  
rum Judicio standum erit: utrūm ex vulnero  
lethali, an potius ex incuria Medicorum, vel  
alia circumstantia, mortuus sit. si enim vulnus  
probetur non fuisse lethale, nec Lædens moretur  
pænam homicidii. vide *de Panis.*

## TITULUS V.

### De Immunitate Ecclesiastica.

Num. I.

**C**um à prima Hungarorum, ad fidem Rom. Cath. conversio-  
ne, maximæ iis curæ fuerit Im-  
munitas Ecclesiastica; pauca hic ad usum ma-  
gis necessaria, & Canonicis æquè, ac Patriis  
legibus conformia breviter adnotare juverit.  
Immunitas Ecclesiastica, est *Ius*, quo loca, res, &  
*Personæ Ecclesiasticae* à cōmūnib[us] oneribus libe-  
ra & exempta sunt. Unde alia est localis, quæ  
Ecclesiæ, & aliis locis Ecclesiasticis; alia Realis,  
quæ rebus, seu Bonis ad Ecclesiam, vel Clerum  
pertinentibus; alia Personalis, quæ compe-  
tit Personis Ecclesiasticis: consistitque immo in  
privi-

privilegio *Canonis*, & *Fori*: vi quorum neque  
verberari sine pena *excommunicationis*, neque  
ad *Forum secularare* ( nisi in casibus à Jure per-  
missis ) possunt pertrahiri. 2dō in Exemptione  
ab obligatione legum civilium sacris *Canonibus*  
*præjudiciorum*. 3tiō in Exemptione ab one-  
ribus personalibus: uti sunt: *Testium*, *capi-  
tationum* &c. Saltēm absq; consensu potesta-  
tis Ecclesiasticæ. vide de *Æqualibus spirituali-  
um*, & *secularium libertatibus* &c. Neque enim  
est propositi nostri ista fusiūs discutere.

2. Immunitas *localis* consistit potissimum  
in his. 1mō. Quod ob reverentiam locis sa-  
cris debitam, actus profani in iis exerceri pro-  
hibeantur: uti sunt *Mercatus*, *Nundinae*, au-  
*Judiciorum celebrationes*. Id quod intelligen-  
dum est etiam de *Domibus Religiosis*. 2dō.  
Quod ad hujusmodi loca *confugientes* cu-  
sint in vita, & membris. Et hæc immunitas  
vocatur *Asylum*, vel *jus Asyli*. Quod pœ-  
ter Ecclesiæ, earumque sacristias, Turres, por-  
ticus, januas, atrium, cœmeteria &c. etiam  
competit Monasteriis, Conventibus, atq; Cole-  
legiis Regularium; Oratoriis privatis authori-  
tate Episcopi erectis, & in perpetuum cultui  
Divino deputatis: Domui item seu Palatio  
Episcopi. Imò etiam *Tabernaculo*, in quo ar-  
ctu asservatur Eucharistia, & Sacerdoti, San-  
ctissimi

Etissimum portanti . juxta communem DD.

*Quær.* qui sunt Criminosi, ab Asylo exclusi?  
*R.* eos determinari constitutionibus *Gregorii XIV.* & *Benedicti XIII.* PP. sūntque sequentes.  
 1<sup>mō</sup>. publici Latrones. 2<sup>dō</sup>. viarum graſſatores ; etiamsi *Unica vice* : modò mors, aut  
 mutilatio sequatur. 3<sup>tio</sup>. Depopulatores agro-  
 rum. 4<sup>rō</sup>. Occidentes, aut Mutilantes aliquem  
 in iphis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis, seu *in*,  
 seu *extra Ecclesiam*, aut *Censiterium* stantes.  
 5<sup>tō</sup>. qui proditoriè proximum suum occiderint.  
 6<sup>tō</sup>. Rei *Assassinii*, tam mandatarii , quām  
 mandantes, certum præmium, aut mercedem  
 tradentes , aut promittentes. 7<sup>mō</sup>. Rei *Læsa Majestatis*, in personam ipsius Principis. 8<sup>vō</sup>.  
 qui confugientes ad Ecclesiam , aliūmque locum immunem , inde violenter extrahunt.  
 9<sup>nō</sup>. Interficientes proximum, animō præmedi-  
 tatō, ac deliberatō. 10<sup>mō</sup>. Falsificantes litteras  
 Apostolicas. 11<sup>mō</sup>. Ministri montis pietatis, vel  
 alterius; *Teloniae*, aut *Banci*, pro depositis Princi-  
 pis, privatarūmque personarum, furtum, aut  
 falsitatem in his locis comittentes ; ità ut pæ-  
 næ ordinariæ locus sit. 12<sup>mō</sup>. Conflantes, A-  
 dulterantes, vel Tondentes quascunque mo-  
 netas aureas , vel argenteas : vel easdem mo-  
 netas sic conflatas, aut detonsas scienter ex-  
 pendentes. 13<sup>tio</sup>. qui sub nomine Curie , se  
 se intro-

se introducunt in Domos alienas, animo ibi-  
dem rapinas perpetrandi, easque re ipsa perpe-  
trant, cum homicidio, aut mutilatione alicu-  
jus in iisdem Aedibus. 1410. Hæretici, qui  
propter crimen hæresis, confugiunt ad locum  
immunem: secùs tamen, si propter aliud cri-  
men confugiant.

3. His igitur Criminosis duntaxat exceptis,  
sæciliquis Christianis omnibus ( saltem ad evi-  
tandam pænam mortis, mutilationis, aut  
his æquivalentem ) competit Jus Asyli: non  
obstante ulla paritate, identitate ( ut loquitur  
Greg. XIV.) imò etiam majoritate rationis, pro  
criminibus hic specificè non exceptis. Unde A-  
sylo proteguntur etiam blasphemæ, perjuri,  
percussores Clericorum, incendiarii, &c.  
& juxta communem, etiam furtum in Ecclesia co-  
mittentes: eò quod hæc crimina, licet forte  
prioribus paria, aut etiam majora, hic per  
expressum non excipiuntur. An autem cri-  
men sit de exceptis; cognoscere privativè spe-  
ctat ad Episcopum: ante cujus decisionem,  
Reus debet esse omnino immunis ab omni vio-  
lentia. Processus denique omnis, ab aliis hac in-  
causa factus, est irritus, ac nullus; ipsique at-  
tentantes, nisi reum restituant ( Reo enim in  
loco immuni existente, possunt de illo inqui-  
xere, imò etiam sententiam ferre; sed non excep-  
tis,

qui, nisi in bonis ) in censuras, & alias poenæ, uti & excommunicationem latæ sententiae incurrent. Quamvis loco hujus, interdum poena pecuniaria pronunciari soleat, ad instantiam Fiscalis, juxta Can. 20. Caus. 17. q. 4. ubi statuitur; ut hujusmodi immunitatis violatores, nongentos solidos, i. e. aureos, Episcopo componant.

Recipi autem ejusmodi configæ debent, nec possunt repelli à loco immuni, sub pena excommunicationis. Extravag. 3. de Panit. item Alenci ex bonis Ecclesiæ, si aliunde non habeant, nec in loco immuni vinculis constrangi, aut inviti exireti possunt. Maximè si probabile sit periculum, ne in manus incident. Can. 6. 8. Caus. 17. q. 4. Const. Greg. XIV.

4. De immunitate Ecclesiastica, déque ejus Violatoribus, Jure nostro municipali, statuta sunt sequentia. Imò. qui Ecclesias infringere, aut Coemeteria invadere attentant, ad Tabulam Regiam evocandi sunt. Mat. Reg. D. 2. 4. 28. item D. 3. 4. 9 ubi idem statuitur etiam de invadentibus Curiam aliquam Nobilitatem. Unde si in aliqua Civitate, è manibus Civium captivus, ad ejusmodi Curiam, vel Domum exemptam configiat, non potest inde per Civiles, absq; Mandato Regio extrahiri add. Si milites prædae, aut vietualium causâ ( quæ plebs pro securi-

securitate eò comportat ) Ecclesias violarent, jubetur Capitaneus hos excessus impedire, sub amissione omnium Bonorum, si Nobilis sit; ipsi verò Excessuosi, si Ignobiles sint, jubentur comburi *Mat. Reg. D. 6. A. 61.* Tenetur tamen Parochus requisitus, Ecclesiam aperire, & egentibus militibus pro justo pretio victualia inde extradere. *3tiò.* Ecclesiarum Praelati, & quæcunque Personæ Ecclesiasticæ dicam vel taxā (*adót, portiót*) non solvunt. *Albert. Reg. A. 19.* estque ipsis hoc privilegium cum Nobilibus commune, uti etiam exemptio à solutione *Telonii, Nauli, Tricesima &c.*, item à *Quarteris & Condescensione* militum, in Domibus, & Residentiis eorum. *A. 58. 1618. A. 46. 1635. A. 44. 1638.* Neque res, & Bona Parochorum ab intestato decedentium, per Patronos Ecclesiarum distrahiri, vel pro se occupari possunt. *A. 10. 1557.* Vide de his plura suis locis.

## TITULUS VI.

### De Imperatoribus Bonorum.

Num. I.

**Q**uamvis *Ius Regium* se extendat ad universa Bona, & Jura possessionaria, *Dominatio-*

nationi Regiae, quomodo cunque subjacentia; tamen si quis Nobilium fiat Notorius, aut in semine recens deficiat, tunc impetrans ejusmodi caduca bona, non nomine Juris Regii, sed titulo Notæ, aut defectus in semine, uti solet. Licet etiā talibus Donationibus sēpe Jus Regium, si quod etiam aliter lateret, inseratur. P. I. T.

24. quādō bona per defectum seminis in Regem devoluta, donantur; tunc non est opus, ut donationibus inseratur: per defectum seminis Masculini, Talis, & Talis &c. cūm per semen aliunde solus sexus Masculinus intelligatur. Si tamen bona concernant utrumque sexum, tunc commode apponetur: per defectum seminis intrinque sexus, Talis, & Talis. P. I. T. 22.

2. Si quis nomine Juris Regi latenter, Bona alterius impetravit, & legitimus eorum possessōr adhuc extans, coram Tabula Reg. edocuit, se Jure eadem possidere; tunc Imperator in estimatione perennali illorum bonorum condēmnat. Idem est, quando Impetrans, accusat eum de Nota infidelitatis, cuius bona impetrat, & in proba deficit, vel liti cedere non vult; convincitur enim in estimatione bonorum, vel emenda lingvæ. Si vero tales Imperantes ante decisionem hujusmodi de Jure Regio controversiæ, in talia bona sese immitterent, nec Juridice sibi appropriare possent, in facto

potentiae convincantur. A. 24. 1439. & 62.  
 1492. si quis tamen titulō defectus, bona im-  
 petret, licet quis deinde legitimū se eorum  
 dem Successorem esse probet; Imperator tam-  
 men nulli pœnæ suberit. Idem esto judicium,  
 tametsi talibus *Donationalibus* etiam Jus Re-  
 gium latens, casu insertum fuisset; illudque,  
 finitā causā *Defectus*, *incassum* probare con-  
 tendisset; nisi causā cadens, iterum illā resuscitet,  
 & bis, in prætensione *Juris Regii*, succumbat.  
 Hoc enim casu dictæ suprà pœnæ subjacebit.  
 P. 1. T. 26. Cæterū omnis *caducorum bono-*  
*rūm* devolutio, aut collatio, non nisi *salvo*  
*Jure*, & *Ære alieno*, intelligenda est. A. 9.  
 1715. Neque *Donatarius*, contra factam con-  
 tradictionem, bona occupare ausit: secūs e-  
 nim, si per Comitem secundū admonitus, de  
 bonis non excesserit, tunc ejici, & in comuni  
 eorundem *estimatione*, convinci jubetur. A.  
 59. 1492. vide de *Donationibus*. Item de *Bor-*  
*gis in lite existentibus.*

## TITULUS VII.

### De Impignorationibus.

Num. 1. **I**Mpignoratio potest intelligi du-  
 pliciter. Nempe ex parte *Im-*  
*pignorantis*, seu *Dantis* aliquid  
*in pi-*

in pignus: & ex parte *Creditoris*, seu accipientis (ut si quis pecuniam det; & accipiat Paganum aliquem, usque ad restitutionem datæ pecuniae, seu summae capitalis, usuandum) aliquid in pignus. 1<sup>o</sup> modò sumpta *Impignoratio*, definitur: quod sit *Juris proprii*, necessitate cogente, temporalis, ad utendum alteri, concessio. 2<sup>o</sup> modò sumpta est *Juris alieni*, cum fructuum perceptione, & capitalis summae repetitione, ad tempus detentio. hanc *Impignorationem*, tanquam *Usuram manifestam*, reprobavit *Verboezius*. P. 1. T. 81. volens perceptos ex bonis impignoratis fructus, in summam capitalem computari. Res enim videbatur ipsi iniquissima, pro 400. florenis, *Impignoranti* datis, 100. *sessiones* Jobbagyona-les (vigore scilicet communis bonorum estimatio-nis) à *Creditore* pro solo *interesse* occupari, earumque omnem fructum percipi, usque ad restitutionem summae capitalis. Quia tamen *communis* ejusmodi *estimatio* jam exolevit, & pro 100. florenis communiter unica *sessio* Jobagyo-nalis, pignori detur; idcirco & *usu*, & *legibus patriis*, modernus impignorandi modus, jam non immeritò approbatur. præsertim cùm *cre-dita*, pro ejusmodi pignore, pecunia facile tantundem inferat; quantum pignus ipsum, aut bona in hypothecata: ac proinde quasi *com-cambii rationem* habeat.

2. *Dans bona aliqua in pignus, & hypothecam, illa semper redimere, seu reluere vel ipse, vel successores ejus legitimi possunt; praestandis juxta tenorem litterarum impignoratiarum, præstitis.* Unde in proverbium abiit: *in causis impignoratitiis, præscriptionem non esse allegandam, neque admittendam.* Subintellige: contra Dantem P. I. T. 82. nam adversus Recipientem, præscriptio habet locum: sed solum in casu, quo Recipiens, seu is, cui aliqua possessio in hypothecata olim erat ( idem esto judicium de Successoribus Dantis & Recipientis ) extra Dominium, talis possessionis constitutus, post completas præscriptionis 32. annos, penes litteras Impignoratitias, possessionem ingredi volens, talis possessionis Acquisitorem, aut actualem Dominum convenerit. Ecce de hoc casu intelligendum illud: omnes litteræ impignoratitiae, quæ tempus præscriptionis transcederunt, inefficaces, nulliusque firmitatis sunt sensenda. Nisi litteras hujusmodi producens, vel fulcimento litterali, vel humano testimonio, usque ad 60. duntaxat annum, se extende demonstrare valeat; se, aut Antecessores suos, inhærentem talibus bonis summam pecuniariam, nunquam levassent, vel violenter & indebetè, de eorundem possessione, per novum acquisitorem, se, aut suos Antecessores excusas.

sos fuisse. P. 1. T. 82. s<sup>e</sup>pe enim *integra pecuniæ summa* Creditori, seu Recipienti restituerebatur; & tamen ipsæ litteræ *impignoratio* re haberi non poterant; sed earum loco dabatur sola *quietantia* impignoranti. Vide quædam huc pertinentia, verbō *Debitum.* & *Damna.*

3. Bona *Impignoratitia* sive ante, seu in Conjugio, per ab *intestato* defunctum acquisita, licet nomen uxorū, aut uterque sexus, in litteris obligatoriis non contineatur, tamen æ qualiter dividuntur inter filios, filias, & Matrem (liquidato tamen priùs Jure coacquisitio nis. A. 67. 1622,) vel fratres indivisos, instar aliarum rerum mobilium. P. 1. T. 102. Impignoratitia enim instar pecunia, illis inhærentis, pro mobilibus reputantur. *Ibidem.* modò talia bona non sint conversa in hereditatem, ac perennitatem Juris: tunc enim uxor, nisi nomen ejus insertum fuerit, portionem ex illis non habebit. *Ibidem* principio, hæc intelligenda de personis Nobilibus: nam bona Rustici, in conjugio acquisita, si is ab *intestato* decebat, in uxorem devolvuntur. P. 3. T. 29. de pecunis, bona impignorata restituere nolentium, vide de *Divisione Bonorum.* De Dote &c. De *Fassionibus.* Sed præcipue de *Admonitionibus,* ac de *Aëstimationibus.*

# TITULUS VIII.

## *De Infamia, quibus Casibus incurratur.*

Num. 1. **I**n famis apud Legistas dicitur: qui ob amissionem boæ famæ, & honestæ existimatis, redditur inhabilis ad obeundas certas functiones, actusque legitimos. Alia Infamia est *Juris*; Alia facti: illam Jura decernunt, vel per sententiam Judicis pronunciatur; hanc m̄res dissoluti, factaque, Bonorum, & gravissim Virorum judicio, iinhonesta inurunt. Hæc tamen infamia nisi simul sit *Juris*, non inducit praedictam inhabilitatem. *Kitt.*

2. *Infamia* primi generis, jure nostro (ut habet *Kitt.* C. 6. Q. 31. Contrahitur. Imo. ex perjurio. P. 1. T. 30. 2dō ex male administrata Tutela. P. 1. T. 123. 3tiō. Ex stupro, vita metricia, furto, homicidio deliberato, aut clandestino, si quidem hæc à Nobili fiant, isque in flagranti deprehendatur. P. 1. T. 9. & passim. Nisi citatō Titulō. 9. honoris amissio, pro solius prærogativa Nobilitaris amissione, sumi debeat. Ut observat *Kitt.* consequenter infamiam propriè talem, propter dictos ibidem

bidem casus, non incurri. 4to. Et non observatio-  
ne mandatorum. A. 78. 1563. de hoc vide  
verbō: *Birsagia Nam. 7. sub medium. 5to.*  
*Ex facto honoris: ut refertur fol. 365. in Cor.*  
*Jur. Ung. post Decreta Leopold. Imp. 6to.*  
*Ex proditione Fraterni sanguinis. P. I. T. 39.*  
7no. Ex non restituzione rerum, ad fideles  
manus depositarum. A. 16. 1622. 8vo. Ex  
collusione Causidici, seu Procuratoris, cum parte  
adversa. A. 27. 1567. 9no. Ex spontanea obliga-  
tione, sub *Nota infamie*; postquam scilicet  
Iudex, juxta hujusmodi contractum, senten-  
tiam pronunciavit. Mat. Reg. D. 6. A. 17.  
Hujusmodi igitur infamia laborantes, per ex-  
ceptionem, à testificando repelluntur: nisi pri-  
us bonam famam legi imè recuperassent. Ar-  
gum. P. 2. T. 35. ibi: aut aliter *Infamis habet*  
*rebus. Et Mat. Reg. D. 6. A. 14. clare ex-*  
*cluduntur omnes illi, qui honorem, & huma-  
nitatem perdidissent. Ubi observa, quod li-*  
*cet sententia facti honoris, ob læsum scilicet*  
*alterius honorem; famaque convitiis, & ver-  
bis, aut scriptis infamatoriis pessumdatam, con-  
tra aliquem in Curia Regis, pronunciata, il-  
lum perpetuū ( salvis omnibus aliis bonis )*  
*reddat infamem, sine ulla spe Gratiae Regis,*  
*hac in re consequendæ; si tamen eadem sen-  
tentia, per viam processus querulofis, feratur in*

Comitatu( uti & ferri solet, sub nomine *emen-  
da lingue* ) non aliud, quam sententia *Emen-  
da lingua* operetur: ut notat Kitt. C. 9. Q. 26.  
Idem est, de aliis causis, relatè ad fora diver-  
sa, sumptis, & adjudicatis. Uti diximus de  
quinque casibus, verbò: *Aetus potentiarii.*

3. Porro si quis **contra** alterum, in Judicio exceptionem opposuerit, illum afferendo *Ignobi-  
lem, Perjurum*, aut aliter *Infamem*; tunc de-  
bet *Injuriato*, ac *Læso* unicus terminus Juridi-  
cus præfigi, in quo ( unde non potest eodem  
processu mediante, alium Testem, locò *Re-  
jecti*, quis adhibere ) si se litteralibus, vel ali-  
is probabilitibus Testium *documentis*, verum  
*Nobilem*; vel si (*Infamia* objecta fuisset) *ho-  
nestæ conditionis* hominem, probaverit: tunc  
*Injurians*, mediante sententia *Judicis*, in ho-  
magio, so'i *Injuriato integraliter cedente*, con-  
vincitur. Ubi si *Injuriatus* fuerit *Nobilis*, ho-  
magium faciet 200. *florenos*; si verò *Ignobilis*  
*honestæ conditionis*, 40. quòd si verò *Injuria-  
tus* in proba deficerit; tunc, si *causa* fuit ad  
mortem, *objiciens* caput suum eliberabit: si  
autem *causa* fuit ratione *occultarum*, apud Ad-  
versariū litterarum, tunc is, cuius *Conjurator*  
tali exceptione remotus erat, in bonis contro-  
versis, tenebitur esse *perpetuus Evidet Excipi-  
entis*, seu *Infamiam objicientis*: si ratione *Re-  
ambus*.

*ambulationis Metalis*; tunc terram illam litigiosam, *objiciens* pro se in perpetuum occupabit: si demum in *comprobatione Genealogiae*; tunc Jura possessionaria, de quibus in tali Judicio agebatur; pro se obtinet. Et sic in omnibus causis, in quibus Juramentum adjudicatur ( i. e. mediante Juramento Judicialiter delato, causa terminanda esset ) quæ Pars, in depositione Juramenti, succubuerit, causam perdit: parte altera triumphante. P. 2. T. 36. Vide de his plura *de Testibus*. Huic tamen pœnæ homagiali non subestet *Injuriatus*, aut *Conjurator*, objectione *Infamie*, à testificando remotus, licet exceptionem, contra se factam, non diluerit. *Kitt.C. 6. Q. 30.*

4. Ex his, quæ jam adduximus, utcumque patet; quod pœnæ hic ( maximè quoad *amissionem cause* ) memoratae, tunc ordinariè incurritur, cùm agitur *testimonio* *jurato*, ac *litis decisivo*: siquidem tunc *altera Partium*, illud per aliquam, ex dictis exceptionem, elidere conaretur, ac non subsisteret. Quod alias lingvæ mordacitates attinet; vide *de Emenda lingua*. Cæterum observat *Verboczius* hic. P. 2. T. 36. ab eo tantum hanc pœnam homagialem incurri, qui exceptionem *ignobilis*, aut *Infamie*, in 4. his causis fecerit: 1<sup>mo</sup>. in facto *Comprobacionis Genealogie*, 2<sup>do</sup>. in causa *litteralium* *distrin*.

Instrumentorum legitimè extradendorum. 3<sup>to</sup>.  
 Metalium Reambulationum. 4<sup>to</sup>. in Depositio-  
 ne juramenti, ad capita, quorumcunque. ni-  
 hilominus tamen, praxis videtur eandem pœ-  
 nam extendere, etiam ad alias causas, cùm  
 sit par ratio, seu in hac, seu in illa causa. a-  
 liquem objectione Ignobilitatis ( ubi nempe te-  
 stis debet esse Nobilis ) vel Infamia, repellere  
 velis à testificando. Si quis à sententia Infamia,  
 contra se latæ, appelleat; non sit infamis: ni-  
 si eadem, in Foro Appellationis, approbetur. ut  
 censem Civilistæ. quia scilicet Sententia, tunc  
 non transit in rem judicatam: vide de Calumnia.  
*P. I. hujus Syntagmati N. 3. & 5.*

## TITULUS. IX.

### *De Ingressione in Causam.*

Num. 1. **I**n ingressione describit Kitt. C.  
 7. Q. 20. in hunc modum: quod  
 sit alicujus, vel aliquorum, in  
 causam, ab altero motam, in Judicio actua-  
 li ( seu allegativè, seu in scriptis ) facta imix-  
 tio. Dum scilicet litigante contra Cajum e.g.  
 Titio, Sempronius se ingerit; asserens, bona  
 controversa, ad se quoque pertinere, seu de-  
 dum pignoris, vel hereditatis, seu Juris Regii  
 titulo. Circa hanc ingressiōem, observanda sunt  
 sequen-

sequentia: 1<sup>mo</sup>. Ingerens titulō *Condivisionalitatis*, statim debet probare Genealogiam suā ( siquidem illa negetur, aut ostendi ab Adversario petatur ) séque esse in similibus bonis, cum Actore Principali, *condivisionalem*: nec unquam *cambialiter*, vel *contractualiter*, se, aut Antecessores suos, huic successioni renunciasse. Si enim *immediatè* id non comprobarerit, amplius non audietur. Nullitamen propterea pænæ erit obnoxius; & mediante alio Processu, poterit eandem causam prosequi, P. 2. T. 84. ubi Actor **cautus** esse debet, ne Ingerentem, suum fortè, intra quartum gradum, consangvineum, temerè neget, esse de sua generatione: secūs enim in pænam *prodigionis* fraterni sanguinis, incidet. P. 1. T. 39. Idem intelligendum de consangvinea, si bona concernant utrumque sexum. Extra quartum tamen gradum, negare impunè potest. 2<sup>do</sup>. Ingressio hæc fieri quandocunque, & quibuscunque litteris, meritum causæ concernentibns, ac productis, legitimè potest: modò fiat antepronunciatam sententiam definitivam, ac finalē deliberationem. P. 2. T. 84.

2. 3<sup>tiō</sup>. Ingerens tenetur absque mora, expensas sibi correspondentes, & usque ad tempus Ingressionis, ab Actore Principali, in tam causam factas; secundūm proborum Viro-

rum limitationem, eidem refundere. *Ibidem.*  
4<sup>to</sup>. Licet Pars 3. teneatur se defendere, tam  
contra Actorem Principalem, quam contra In-  
gerentem ( cum faciant unum moraliter Acto-  
rem) si tamen litteras suas, aliisque documen-  
ta, ante hanc Ingessionem produxisset, non  
debet iterum producere, si nolit: sed satis e-  
rit, ad ea se revocare. Si tamen asserat se  
seorsim habere litteras quasdam, contra Ingé-  
rentem, tunc præfigitur ipsi pro earundē exhi-  
bitione unicus terminus: in quo seu exhibeatur,  
seu non; finalem accipiat deliberationem. 5<sup>to</sup>.  
Volens agere de hereditate, ac perpetuitate,  
non potest se ingerere in causam, ratione *Im-  
pignorationis*, vel *indebita occupationis* motam:  
si tamen causa moveatur super hereditatem; po-  
test quis se Ingerere, sive prætendendo Jure  
proprietas, sive *Impignorationis*, vel alio quo-  
vis titulō. P. 2. T. 84. §. *Igitur sciendum.*  
&. T. 85. §. *Verū tamen.* Imò etiam in cau-  
sa, ratione rerum mobilium suscitata, potest  
sieri hæc Ingessio: modò res illæ etiam alias  
concernere dignoscantur. *Kitt. C. 7. Q. 23.*  
6<sup>to</sup>. Si quis titulō *Juris Regii*, noviter impe-  
trati, se Ingerat; tunc utroque litigantium  
succumbente, tertius gaudebit, & *Jus Regi-*  
*um*, locum habebit. Si verò alteruter trium-  
phaverit; potest cum Jure Regio, contra  
trium

triumphantem Procedere, illud edocendo. P. 1. T. 31. Effectus Ingressionis est, quod comprobatis comprobandis, Ingerens obtineat, partem se concernentem, bonorum controversorum.

3. Si tamen Actor principalis, ante sententiam finalem, concordavit cum J. seu in causam attracto. Ingerens non potest amplius viâ Ingressionis agere, nec J. ad instantiam ipsius respondere. nisi aliqua fraus, ad elendum Ingerentem, in tali concordia intercessisse, probaretur: juxta illud: *Fraus, & Dolus nemini patrocinatur*; vel si concordia, primò post sententiam, suisset inita. P. 2. T. 85.

4. Solent etiam in privatorum causas se se Ingerere *Fisci Magistratales*; ut deficientibus in proba litigantibus, jura suorum Principalium, illic latentia, prosequantur. Sic si in *Tabula Regia*, occasione alicujus causæ, inter Partes discussæ, *Fiscalis Regius*, seu *Director* advertat, bona controversa, ad Jus Regium pertinere; tunc præmissa protestatione, in eam causam se Ingerit, petisque bona controversa sibi adjudicari. Non absimiliter inferiorum Magistratum *Fiscales*, ubicunque publicum scandalum, aut Magistrataliter vindicandum delictum detegitur; legaliter se per formam Ingressionis, in causam litigantium immittunt. Sic

v. g. accusas Titium furci : rem quidem furtivam Judex tibi restitujiubet; *Fiscus* tamen ( *seu in sede Dominicali, seu in iudicio Circo, vel consistorio Ecclesiastico* ) se in causam tuam ingerens, instat, ut *Titius* etiam ahā pænā pleratur, e. g. suspendatur, incaceretur, vel certam pecuniae summam solvat. Delictque Judex hujusmodi ingessiones, utpote justas, & usu receptas, admittere. Et hoc locum habet, etiamsi partes inter se accordent: cùm per eorum accordam, justitiae scelerum vindicative, quam *Fiscalis* urget, satisfactū non sit.

## TITULUS. X.

### *De Inhibitione.*

Num. I. **R**Emedia Juridica sunt, *Appellatio, Novum Judicium, Contradiccio, Repulsio, Opposito, ac Inhibitio &c.* hæc est Juridicum medium, quo sententia, ob non venientiam Reis, ad instantiam Actoris præsentis, à Judice lata; vel ab *Extradatione*, vel si jam extradata est, ab *executione* inhibitetur. Id quod fit me- dio Testimonii Capituli, vel Conventus, in cuius Processu Reus existit; vigore litterarum inhibitoriarum Judicis ordinarii, eidem Capi- tulo

tulo, vel Conventui ionantium. A. 55. 1550.  
 et apud Kitt. C. 5. Q. 2. Onus autem Sententiæ, aut preium litterarum, ab Inhibente statim deponendum, sunt 12. florensi: pro One-  
 re vero Inhibitionis: à singulis personis, quæ  
 convictæ erant, deponendi 3. florensi: idque  
 absque prorogatione. Argum. P. 2. T. 58.

2. Remedium hujus Inhibitionis, non con-  
 ceditur illis, qui in judicio per se, vel per Pro-  
 curatorem compararent, vel quôquô modô vi-  
 si fuerunt etiam in alia causa; sive defendant se,  
 sive non: neque illis, qui cum aliis judiciali-  
 ter agunt. A. 55. 1550. Ulad. D. 6. A. 14.  
 sed illis duntaxat, qui per non venit, convin-  
 cuntur. Si tamen post factam Inhibitionem  
 compareant; nulli propterea pœnæ suberunt.  
 Ut deliberatum est Posonii. Annô 1612.

3. Inhibitio hæc variis locis petagi potest.  
 1<sup>mo</sup>. apud Judicem, coram quo causa ventilata  
 fuit. 2<sup>do</sup>. Si litteras Sententiales, Judex jam  
 extra dedit Actori, inhibetur ipse Actor perso-  
 niter, ubicunque reperiri poterit, ab executio-  
 ne latæ sententiæ. 3<sup>to</sup>. Si Actor dictas litte-  
 ras jam Capitulo, vel Conventui; cui sona-  
 bant, assignavit; tunc inhibetur Capitulum,  
 vel Conventus, ab exmittendo Executore. 4<sup>to</sup>.  
 Inhibitio fieri potest etiam post Executionem,  
 modò *Littera Relatoria*, de Executione nor-

dum sint Actori extradatæ. ità Kitt. C. 5. Q. 2.

4- Postremò sciendum, præter dicta, non habere Inhibitionem locum, imò. in causis, quæ per Citationem Personalem moventur; modalitate Tituli 20. P. 2. & Kitt. C. 2. Q. 6. 2dò. in restitutione bonorum, violenter occupatorum. Const. Poson. A. 4. 1542. 3tiò. in Causis, per Evocationem cum insinuatione, motis. Ulad. D. 1. A. 54. & Kitt. C. 2. Q. 3. 4tò. In Causis Jurium impignoratiorum, si pars F. fuit tempestivè evocata. A. 62. 1618. 5tò. Istud Nota, qui Inhibitionem, quacunque ratione, indebet impetrat, obnoxius efficitur poenæ Emenda Lingua. A. 55. 1550. vide de Calumnia.

## TITULUS XI.

### De Inquisitione.

Num. 1. **I**nquisitio definiri potest generaliter, quod sit causæ dubiæ, per Testes Judicialiter facta declaratio. Ea est complexus. Communis scilicet, & Particularis, seu privata. Dicitur Communis, quæ communiter utriusque Parti, & quidem simul & semel permittitur: Particularis verò, quæ ad unius partis instantiam, super facto aliquo peragitur. Ad Inquisitionem comunem, juxta Mat. Reg.

*Reg. D. 6. A. 14.* requiritur, ut pro utraque parte litigante, eodem tempore, & per eosdem peragatur. *2dō* Ut virtute Litterarum *adjudicatioriarum*, Homo capitularis ad locum accedat, quem approbante Judice, Partes sibi delegent: ibique eo præsente, Homo Regius, vel Palatinalis, , in *Adjudicatoriis* denominatus, peragat Inquisitionem.

2. Hodie tamen Magister duntaxat Proto-notarius, coram quo causa in *Tabula* agitatur, eō procedit. In causa nihilominus occupatio-nis Bonorum, sic hæc Inquisitio præcisè in fac-tie loci controversi. *P. 2. T. 27.* Quamvis interdum etiam hoc casu, in sede *Judiciaria*, & coram eodem Judice peragatur. *Kitt. C. 6.* *Q. 2.* Olim peragebatur in sede *Judiciaria Comitatūs*. *Mat. Reg. D. 6. A. 14.* Porrò sicut olim Homo Regius, non nisi juxta voluntatē litigantium; ità hodie non est transmitten-dus Protonotarius pro comuni Inquisitione, contra eorum voluntatem. *A. 58. 1523.*

3. In hac Inquisitione maximè examinandi sunt Vicini, Commatanei, & Comprovincia-les, imo & alii, qui Actui præsentes fuissent, aut de eo aliquid nōsset, homines utriusque sexūs, Nobiles, & Ignobiles. *P. 2. T. 27.* Ubi licet Testimonium Rustici, contra Nobilem, non nisi Consentientibus Partibus, admitten-

dum dicatur; *hodie* tamen, vigore A. 26.  
1729. Personæ ignobiles, pro, & contra Nobiles, in causis *Civilibus*, promiscuè ad testificandum adhibentur: uti & in *Criminalibus*, si aliter veritas elici non possit. Porro communem Inquisitionem, nisi turbata fuisset, semel tantum faciant. P. 2. T. 31. Et eam turbans, condemnetur in poena *potentia*, & causæ amissione. *Uladis.* in D. Maj. A. 57.

4. Dividitur adhuc Inquisitio: 1<sup>mo</sup>. in *Generalem*, & *Specialem*. *Generalis* de toto aliquo loco, *Civitate*, vel *Comitatu*; *Specialis* de certa persona suspecta, vel jam accusata, instituitur. De *prima* agit *Decretum*, & A. 50. 1548. Aliisque, quibus *Judices Comitatenses* jubentur inquirere in *Malefactores*. De *Secunda* tenent *Canonistæ*, ac *Civilistæ* communiter; eam non posse institui, nisi probabilia criminis Indicia præcedant: cùm tamdiu aliquis supponendus sit esse bonus, donec saltem probabile sit, illum esse malum. ut habet *Regula Fr. ris.* 2<sup>do</sup>. Dividitur in *Collateralem*, & *Authenticaam*. *Ille* est *Extrajudicialis*, quando nempe extra judicium Testes examinantur. Ex hujusmodi attestatione Collaterali, nemo in Jūdicio condemnari potest. *Kitt. C. 7. Q. 11.* Et tenet *praxis* in omnibus Tribunalibus: id que ita, ut etiamsi *Exceptio catenus interposta non*

sita non fuerit (consultum itamen est, illam interponere) in *Criminalibus* tamen, quia & *Civilibus* Arduis, nequeat Judex aliquem ex tali attestacione condemnare. Si Collaterales Testes fuerint duo, vel tres, semiplenam facientes, cum uno Authentico integrum efficiunt probam. *Authentica* verò *Inquisitio*, vel *Attestatio* est; quando Testes Collateraliter in Partibus, seu extra locum Judicii, sub Juramento examinati, deinde in figura Judicij personaliter comparentes, juxta eadem puncta interrogatoria, per Judicem, aut *Sedis Notarium*, præmissò iterum Juramento, examinantur: quamquam de Partium consensu, etiam extra judicium, coram certis à Judice deputatis personis, hæc Authenticatio institui possit.

5. Peraguntur Inquisitiones in Comitatibus, per Judices Nobilium, & Juratos Assessores, virtute Mandati Compulsorii Comitum Parochialium, aut Commissionis Vice-Comitum, sed intra ambitum duntaxat locorum, eorumdem Jurisdictioni subjectorum. Est autem Mandatum Compulsorium, vi cuius omnes Mandanti subjecti, si requirantur, tenentur testimonium perhibere sub poena 16. marcarum gravis ponderis. P. 2. T. 28. Extradaatur autem Mandatum Compulsorium præceptoriè, ad uolum ex Tabula Regia Juratis Notariis

tariis (cùm nempe à Principe, aut aliquo Jūdice Regni ordinario, vel Proto-Notario extrahitur) vel ad Capitulum, aut Conventum, ut è medio sui Testimonium, cum Regio, aut Palatinali Homine, in *Mandato Compulsorio*, denominato, ad peragendam Inquisitionem extmittat. *Stylus.* Hujusmodi autem Exmissi, aut Jūdex, receptam Testium Fassionem, Parti adversæ nullatenus communicare debent, priusquam illam *Instans* exceperit. Cæterum, cùm inquisitio in *Testificationibus* potissimum consistat; vide plura huc pertinentia, de *Tribus*. Item de *Juramentis*.

## TITULUS XII.

### *De Impensione Judicij ex parte Jobbagyonum.*

Num. I. **I**mpenso hōc locō, nīl est aliud quām Juris, & justitiae, per *Dominum Terrestrēm*, ad Instantiā Partis læsæ, contra Subditos, aut Servitores suos *Ignobiles*, legitima administratio. Sive igitur *Querulans* sit Nobilis, aut Magnas, seu Ignobilis; ratione quorumcumque negotiorum (exceptis causis *Forum Ecclesiasticum* manifeste concernentibus) adversus Servitorem Ignabilem

bilem, aut subditum alienum, motorum, Ju-  
dex prima instantia debet esse Dominus Ter-  
restris, in Regno possessionatus. P. 3. T. 29.  
& 26. Atque hoc Tribunal, sedes Dominalis  
appellari solet: à qua non nisi per Viam Ap-  
pellationis, ad altius Forum causa derivari po-  
test. Ibidem. Vide de Appellationibus. Num.  
II. &c. Cæterū Impensio plerumque petitus  
nomine satisfactionis.

2. Quod si Servitor sit Nobilis; contra hunc  
non Processu Impensorio, apud Dominum Ter-  
restrem; sed coram Vice-Comite, vel alio Ju-  
dice competente, Processu Queruloso utendum  
est: imò si quis talem Juri-statui peteret, pa-  
nam homagialem 200. flor. incurreret. P. 2.  
T. 23. Cum Nobiles evocari, non statui de-  
beant; nec illorum Forum competens, sit se-  
des Dominalis. Super privata autem persona  
Civili, Magistratus ejusdem loci, Judicium  
impedit. A. 33. 1662. Est autem Juri-sta-  
tutio, Personæ Ignobilis, quasi in Jus citatio,  
ejusdémque ad instantiam Querulantis, per  
Dominum Terrestrem facta Judicio submissio.  
Postquam enim Dominus Terrestris videt, Ex-  
ceptiones Procuratoris sui, ad evitandam Ju-  
ri statutionem, esse inefficaces, declarat se, per  
eundem Procuratorem, Subditum in'actione de-  
minimatum, habere pro Juri-statuto. Minorene-

nes, seu legitimam 12. annorum aetatem non habentes, Juri-statui non possunt. A. 23. 16. 3. hujusmodi tamen Juri-statutionis figura, tunc solet observari, quando Dominus Terrestris ad *simplicem* Querulantis instantiam, Jus impendere noluit; ideque vel per admonitionem Judiciariam, ad id compellitur; vel ad Curiam Regiam; pro causæ qualitate, etiam ad Forum Comitatense, unâ cum subdito *Instato* citatur, rationem non Impensionis reddituros. Argum. P. 3. T. 26. §. Verum si venerit &c. quod si non veniat, pro sua persona in tribus; pro statuendis vero subditis, in una marea gravis ponderis, & simul amissione actionis, condemnatur. Ibidem. Si enim ante admonitionem Judiciariam velit satisfactio nem impendere, tunc, in causis praesertim levioribus, audita utraque parte, sine ulla solemnitate, potest sententiam ferre. Praxis.

3. Si vero Dominus Terrestris, ad *simplicem* partis læsa instantiam Judicium impendere nolit (quod negare potest sine ulla pena; cum haec presupponat admonitionem Judiciariam) tunc Pars læsa curat illum Judicialiter admoneri per Judicem Nobilium (quod maxime tunc fit, cum Actor non subest eidem Domino Terrestri) quod factò, Judge Nobilium, assumptione secum Assessore Jurato, accedit Do-

dit Dominum Terrestrem, vel ejus officialem, nempe Provisorem, vel Villicum, aut communem loci Judicem, vel etiam alterum Jurisdictioni ejusdem Domini Terrestris subiectum; & petit ad instantiam Actoris, Judicij impensorum, ac termini, intra quindenam præfixionem: actionemque Actoris, *in paribus*, Domino Terrestri transmitit. Ex post intra 15. dier, debet idem Dominus notificare Judici Nobilium, terminum à se præfixum, quid debet esse competens. Adveniente autem termino, vel in facie loci, ubi *Rusticus In-estus* residet, vel in capite talis Dominii, coram uno ex Judicibus Nobilium, & Comitatūs Jurato (neutro tamen ut *Judice*: utpote qui est Dominus Terrestris, aut ejus officialis, vel Plenipotentiarius; sed ut *Assessoribus*) Judicium Impensorium administrari debet. P. 3. T. 26. Ideo autem solet adesse Judex Nobilium, ut Testes, & quidem *absente Domino*, Authenticit: et si opus fuerit, ad sedem Comitatūs informationem, & appellationem referat. A. 41. 1729. Sienim ad Comitatum Partium aliqua appellat, tunc tota causæ series, eò defertur. Ubi si sententia *Sedis Dominalis* approbatur; ejusdem executio statim peragitur, tum quoad refusionem damnorum, tum expensarum, Parti triumphanti adjudicandam.

4. Si in termino, post Judiciariam admonitionem præfixo, Dominus Terrestris Justitiam, nullâ habitâ legali excusatione, impendere nolit; tunc pro singulis subditis, aut famulis ignobilibus, in causam attractis, solvet 3. *Marcas*, seu 12. flor. in duabus partibus Judicii; intentia verò Actori cedentibus. Si etiam secundò monitus, impendere detrectet; tunc condemnatur in pœna homagiali singulorum, 40 flor. faciente, solumque Actori cedente. P. 3. T. 26. et hoc Jure antiquo *Tripartiti*. Hodie verò non cogitur iteratò Dominus Terrestris ad Impensionem: sed si post primam admonitionem Judiciariam impendere neglexit; tunc Vice-Comes, ad instantiam Querulantis, procedit tam contra ipsum, quam contra subditos, convincitque in pœna violentiæ, & dannorum refusione. A. 29. 1609. & A. 23. 1613. vigore autem A. 41. 1729. Impendens potest differre terminum præfixum, *semel*, vel ad summum, *bis*, etiam *invito Attore*, & citra omnem pœnam.

5. Quod si causa Ignobilium hujusmodi, atum majoris potentiarum contineat (dicta enim intelligi debent de minori potentia) ac Sententiam Capitalem respiciat; ex tunc juxta dicta, *de Bonis Furum*, &c. ac *de Capitali Sententia*. idem amittunt omnia Bona mobilia, & immobilia

mobilia. inter Judicem, & Actorem dividenda. P. 3. T. 26. ubi observa, quod si ipse Dominus Terrestris Judicium impendat, tunc partes Judiciariæ ipsi, & non alteri cedant. Tenebitur tamen Dominus idem Terrestris, in actu majoris potentiae, capita illorum præterea manibus adversarii punienda assignare; vel homagia singulorum de propriis Bonis depone-re: quod intellige: si *in termino impensionis, subditi condemnati*, in potestate ejusdem fuerunt. *Ibidem.* vide de Successionibus

6. Nam si tempore medio, aliquis illorum Jobbagyonum; quôquô modô fugeret; tunc idem Dominus Terrestris, nullam pænam incureret: verum si quispiam illorum, post præfixionem, & ante impensionis diem, invitô Dominô suô palam, vel occulte fugeret, tunc omnia bona illius mobilia, & immobilia, intra Territorium dicti Domini existentia, idem Dominus pro se liberé occupabit; tamen de iisdem ( si actus majoris potentiae fuerit ) homagium profugi primò Actori persolvere; & tertiam quoque bonorum ejusdem mobilium, adversario dare tenebitur, duas partes sibi reservando. idem est de Bonis immobilibus, Jobbagyonis, utpote quæ estimari debent, & *tertia pars estimationis*, itidem Actori assignabitur. Si autem actus minoris potentiae patra-

tus fuerit; tunc solum homagium illius, cum refusione damnorum ( si hæc declarata fuerint in actione) Actori persolvere tenetur. Ibidem. sub fin. vide plura huc facientia, verbō: *Sed des Dominalis.* & hic *infra.*

## TITULUS XIII,

### De Jobbagyonibus, eorūmq; Juribus.

Num. I.

**Q**uod attinet Jus eorum acti-  
vum, imò. Jobbagyones  
(qui olim vocabantur *Baro-  
nes Regni*, ut *Palatinus*, *Banus* &c.) ratione  
quorumcumque negotiorum, ad præsentiam  
Judicium Ordinariorum Regni, vel Comitatūs,  
directè citari non possunt: sed in Sede Domi-  
nali, cui subsunt, primū conveniendi. P. 3.  
T. 25. Neque ob delicta, per quemvis (ex-  
tra casus jure exceptos) comprehendantur, sed  
à Domino eorum Terrestri impensio Judicii  
petatur. 2dò. ad Confinia, Pontes, & Agge-  
res reparantes, Telonia non solvunt. A. 47.  
1609. A. 15. 1723. 3tiò. Nemo, ex Domi-  
nis Terrestribus, vina Colonorum suorum, il-  
lis invitatis, etiam pretiō datō, auferre potest;  
nisi ipsi ultrō aliis vendere velleat eodem pre-  
tiō

tiō. 4<sup>to</sup>. Ubi vineæ non sunt, liberum est Colonis, à Festo S. Michaelis, usque ad Festum Nativitatis Domini, vina educillare: & tandem Dominis totō annō: modò non exigant à suis Colonis pretium vini, seu illud bibant, seu non. In locis autem viniferis, ubi & Coloni habent suas vineas; à Festo S. Michaelis, ad S. Georgii, possunt sua vina educillare: reliquo autem tempore, Domini terrestres: si tamen pro toto tempore Colonis indulto, eorum vina non sufficerent; tunc Dominus loci, & non aliis, educillare poterit. Colonus tamen educillator Domini, à servitio hebdomadario sit liber, & à singulis urningis, 32. pintarum, denarios 4. habeat. A. 36. 1550. Ubi tamen Ruslici, intra hos dies, in usu educilli non fuissent; ibi nec in posterum educillare poterunt. A. 31. 1655. & si extra præscriptos terminos educillent, in pæna violentiæ puniuntur. Ibidem. Nota hic Ladislasm Zudar Nobilem, in Territorio Capituli Strigoniensis, Titulō cuiusdam fundi, sibi olim (ut ajebat) cum aliqua libertate donati, educillantem, ab educatione prohibitum: eò quod Abbas Antecessor, non potuerit in præjudicium suorum Successorum, hoc jus ulli concedere. A. 51. 1559.

2. 51<sup>o</sup>. Coloni, quorum Domus combustæ.  
aut qui

aut qui sibi in locis desertis ædificârunt; à Cōtributione, per triennium, sunt liberi. *Ulad.*  
*D. 7. A. 61. & A. 23. 1558.* 6mō. In taxationibus & laboribus per subditos præstandis, Domini Terrestres non possunt ab *Urbario*, ritè confecto recedere. *A. 18. 1723.* Contrarium facientes, ad instantiam *Subditorum*, per *Magistratus Comitatenses* coercentur. *Ibidem.*  
 & *A. 101. 1715.* Cæterūm pro diversa Colonorum conditione, diversa etiam est *Consuetudo Juris*: quæ juxta veterem locorum usum observanda erit. *P. 3. T. 30.* Hinc alibi *duos*, alibi *tres dies* præstant subditi *integra sessionis*, suis Dominis per hebdomadam. Quæ diversitas plurimūm orta est, vel ex diversis Dominorum Terrestrium cum suis Jobbagyonibus, *pactis*, vel ex abusu, aut conniventia Officium. Juverit hic perpendere. *A. 36. & 37. 1548.* Ubi ad evitandam Colonorum oppressiōnem, singulis hebdomadis, tempore *messis*, *falcatura*, *aratura*, *culturae* vinearum, *duos dies*; alias *unicum*, Domino Terrestri præstare jubentur: ita ut *annuatim* non nisi *52. dies* laborare teneantur; *unum* pro singulis hebdomadibus *diem* computando. 7mō. Decimas dare non tenentur; nisi ex fructibus *eiusdem anni*. Ut patet ex *S. Stephani Lib. 2. C. 52.* Ibi: *si in anno decem acceperit &c. & Mathia Reg.*

Reg. D. 5. A. 13. Unde si Colonus habens s. Oves, dein accipiat s. agnellos; vel si habeat s. aparia, ex quibus prodeant alterò anno s. examina; licet hoc casu universim habeat 10. tum ex dictis pecudibus: tum ex apariis; tamen non tanetur dare decimam pecudem, aut apiarium; quia denarius hic numerus, non est fructus ejusdem; sed diversorum annorum: ac proinde jam semel decimatns. Secus enim easdem oves, vel alvearia, licet nil ipsis de novo accederet; posset quis annis successivis, saepius decimare: cum tamen soli agnelli essent decimandi, per leges omnes. 8vò Si Colonum liberae migrationis, ac rite migrantem, Dominus retineat; tunc per Judicem Nobilium admonetur: & si imam ejusdem admonitionem contempserit, in 100; si 2dam, in 200. flor. hung; si etiam 3tiam. in amissione illius possessionis convincatur. A. 30. 1556.

3. Circa alia, partim activa, partim passiva colonorum Jura, observari merentur adhuc sequentia. Imò. quamvis olim Jobbagyones libram habuissent migrandi facultatem; sub Uladis. tamen Rege, ob bellum sub nomine Cruciata ( unde nomen Kurucz ) Duce Georgio Szokelly, in Regem, concitatum, ablata eis est omnis facultas. Ut habetur. P. 3. T. 25. At licet sub Ferdin. I. A. 27. 1556. Sub certis con-

tis conditionibus, iterum sit restituta; successu tamen temporis, partim *usu*, partim *lege*. A. 73. 1608 ad illos solum Comitatus restricta, in quibus *usus* ab antiquo, fuisse. Unde seu ab antiquo seu *præscriptione* 32. *anno rum*, seu pactis *conventis*, Domino Terrestri in perpetuum obligati sint, migrare amplius, sine *ablicentiatione* Dominorum terrestrium, non possunt, nec nobilitari, sine commendatione, & consensu eorundem. A. 17. 1622. 2dō. Quamvis Taxalistæ Ignobiles liberæ conditionis, vel *manni missi*, in horis alicujus Domini, *Colonicalem*, vel *Censualem*, aut *Inquilineartam* assumentes (nisi conventio per expressum facta, obstatet) liberè migrate possint, per A. 61. 1723. tamen & hi, modalitate P. 3. T. 25. §. Et quamvis omnes &c. & A. 28. 1556. prius quam debita, seu ex *delicto*, seu ex *contractu*, in eodem loco existentibus persolvant; aut pro desolatione *Sessionis*, per negligentiam causata, vel *quantum portionale*, jam per repartitionem sibi obtingens, plenè exhibeant; aut deniq, pro liberatione à Censu, aliisque proventibus, quā illis Dominus, spe ulterioris mansionis, ad tempus indulxit, eodem Domino volente, congruam compensationem præstent; migrare in alterius possessionem non possint. Item Viduz Jobbagyonum, vices eorum gerentes, etiam si nubant

nubant alteri; recedere tamen, sine consensu  
Domini, in aliam possessionem non possunt.  
Ulad. D. 7. A. 21

4. Quantum ad Repetitionem Colonorum fugitivorum, observandum est, Ulad. D. 7. A. 26. & sex aliis sequentibus Articulis ita statutum esse: ut, si cuius Jobbagyo violenter, vel aliter abductus fuisset per aliquem; & ille assumpto secum Judice Nobilium, & aliis quatuor Nobilibus illius Comitatus, in quo Jobbagyo abductus, reperiretur; in facie talis loci, vel villæ, suum Jobbagyonem esse, & contra suam voluntatem abductū fuisse comprobasset, ex tunc Dominus ille abducens, admoneretur ad reddendum, unā cum rebus suis: qui, si reddidisset, tamen pro violentia 100. flor. (in casu scilicet abductionis) partim Judicibus, partim Actori dividendos: si autem reddere noluisset, præterea amisit illum locum, seu fuerit Civitas, seu Villa, seu portio, in qua Colonus repertus est: cuius pars Actori; Due partes Regi adjudicabantur. Si autem abducens fuisset Ecclesiasticus; tunc loco possessionis Ecclesiastice amittendæ, præter 100. floren. debebat solvere, juxta valorem talis possessionis. Officialis vero, contra voluntatem Domini sui, id faciens; si Rusticus esset, in manus Actoris assignabatur; se-

tur, secūs ut suprā, puniebatur. Quod si verò Colonus *furtim*, vel aliter ultrò aufugisset, & Dominus, apud quem reperiebatur; per Judicium admonitus, non restituisset, eandem pœnam incurrebat. Si verò post Admonitionem, ab illo quoque Colonus profugisset, tunc Dominus, vel ejus Officialis jurare debebat, quod illum detinere non potuerit: secūs enim homagium *Dimissi*, solvendū Actori erat, poteratque abductus, vel profugus, extra Villam abducentis repertus, per Dominum suum, viâ facti reduci. Quoad Civitates, fugitivos recipientes; vide de *Civitatibus*. N. 8. sub medium.

5. Hodie verò eorum *repetitio* instituitur hac ratione. 1<sup>mo</sup>. Si Coloni (idem est de Familis, citra facultatem, & ante expletum servitii tempus, Dominos deferentibus) in aliud Comitatum, cum manifestis, aut saltem suspectis fugæ indiciis, commigrent; ipso factis sunt detinendi, per locorum Magistratus, & Comitatui, ex quo venerant, significandi. A. 101. 1715. 2<sup>dō</sup>. Domini Terrestres, Colonus profugum, scienter ad sua bona recipientes, & ad primam, penes Transmissionem Collateralium, peractam legalem, medio Judicis Nobilium, & Jurati Nobilis, repetitio nem, Juris sufficientem verificationem, cun dem

dem non restituerint; ex tunc primò 100. flor. si nec 2dò. moniti restituant, 200. si nec tertio moniti, eundem, cum omnibus bonis, etiam interim acquisitis, & refusione expensarum, restituant; tunc præter utramque hanc pænam, amittunt locum, aut Villam ejusmodi redemptibiliter, partim Actori, parim Judici attribuendam. A. 31. 1556. quem *Articulum* declarat. A. 70. 1559. Quod licet plures essent simul restituendi, dicta tamen pæna non debeat augeri. Utrumque autem confirmat. A. 101. 1675. Et hæc declaratio intelligenda est, quoad privatos Dominos non restituentes: nam si *Comitatus*, *Civitates*, vel *Oppida privilegiata*, aut *Districtus Colonum profugum*, restituere nollent, dicta poena desumenda esset, quoad singulos non restitutor, unà cum expensis omnibus. A. 60. 1723.

6. 3tio. si Actor sine omni fundamento legali, colonum repetens, in actione succumbat; tunc juxta conscientiosam Judicis limitacionem, expensas *Incatto solvere* tenetur. Ibidem. 4tò. Colonum profugum pendente lite alij translocans, perinde punitur. Ibidem. Imò Domini Terrestres, exceptis servitoribus, Colonos suos de uno in alterum Comitatum transferre non possunt: nisi tot habeant, ut in Bonis unius Comitatus, eos ac-

commodare non valeant. A. 62. 1723. s<sup>t</sup>o. Colonum profugum, ex ipsa alterius Domini villa, ad quam se recepit, Dominus suus reducere propria authoritate non potest: nec legitime repetere, post 32. annos præscriptionis: ubi etiā anni, alias à præscriptione exempti, contra sensum a. 54. 1625. imputantur. a. 31. 1556. A. 52. 1635. 6tō. Colonus profugus, amittit omnia bona tam mobilia, quām immobilia, in Ditione Domini sui existentia, ad eundem Dominum terrestrem, ipso factō devolvenda. ita usus antiquus, & A. 31. 1556. per A. 101. 1715. confirmatus. de Rusticorum in Bonis successione, Divisione &c. vide suis locis.

7. Rustici, aliique Ignobiles, cum Nobilibus Regni hujus, ratione quorumcunque negotiorum, processum Judiciarium active ingredi, per se ipsos, non possunt. P. 3. T. 31. unde si id attentent, exceptione Ignobilis, ante Contestationem litis, interposita, ab argendo repelluntur. dum igitur Rusticus, vel famulus Ignobilis, per Nobilem, indebet verberatur, vel aliter laeditur, aut quomodo cunque in bonis damnificatur; tunc Dominus Rustici lesi, Injuriantem jure convenit: qui si Judicialiter convictus fuerit; pro parte quidem Domini Terrestris, in 100. flor.: pro parte vero Rustici, vel Servitoris injuriati, in ho-

in homagio ipsius, seu 40. flor. & damnorum illatorum refusione, condemnabitur. P. 3. T. 31. juxta videlicet negotiorum qualitatem, ita ut aliquando sola damnorum refusio, aliquando simul cum homagio solvatur.

*Quær.* An Rustici possint aliis, extra Ditionem Domini sui Terrestris, existentibus, oppignorare, ac in perpetuum etiam vendere sua bona; ut sunt prata, vineæ, agri &c. R. id quidem fieri posse (saltem consentiente Domino) docet experientia quotidiana: ita tamen, ut impignoratio ejusmodi, aut perennalis bonorum immobilium abalienatio, Dominio Terrestri, quoad proprietatem, & exactionem Terragii, nihil prajudicet. Nam Rusticus prater usum fructum, ac laboris mercedem, in terris Domini sui, quantum ad perpetuitatem, nil juris habet. P. 3. T. 30. per hujusmodi igitur oppignorationem, legationem venditionem, Colonus solum laboris, sui præmium, condignam scilicet aestimationem terræ, aut prati, prout exculti, alienare potest: quæ, dum voluerit Dominus Terrestris, ab Emptore, aut legatario, semper potest rehabere: prata quidem, agros, hortos extirparitios, & vineas, deposito condigno valore: Molendina vero, Domos, & alia ædificia, communi aestimatione mediante.

*Ibidem.* Quæ videntur intelligi de casu, in quo Rusticus ipse ædificia posuit, aut agros extirpatios excoluit, vel emit. Nobiles porro, talium possessores, sunt citandi, & coram *Judgium*, ac *Jurato*, in sede *Daminali* conveniendi : per quos & æstimatio peragitur. Vide de *Æstimationibus Bonorum. N. 4.* Idem habetur. A. 29. 1556. De pratis, aut agris extirpatitiis : eosq; modò sint extra sessionem *Fobbagyonalem*, posse etiam à Colono, aliò transmigrante possideri. Ex quibus patet, quoad istum Casum, *Communem æstimationem*, adhuc habere locum ; ne Coloni, venditionibus, aut oppignorationibus inconsultis, nimis oacerent bona Dominorum suorum.

8. Si Colonus negligat solvere à Vineis, Pratis, Terris extirpatitiis, & Molendinis, Domino suo Terrestri censum solitum ; hoc ipso ea amittit, & redeunt ad Dñum Terrestrem, sine omni solutione : qui alias non nisi æstimatione mediante, illa rehabere posset. *Ulad. D. I. A. 49.* Colonus liberæ migrationis, si aliquando, per suum Dominum, in *Birsagio* fuisset convictus, & ille tale Birsagium spatio unius mensis non fuisset executus ; postmodum prætextu talis Birsagii à trasmigratione detineri non potest : nec similiter *Birsagium*, elapsò mense, Coloni solvere tenentur. *Sigis. 1404. A. 6.*

*In vagiatio. -- V. de Damnis.*

# TITULUS. XIV.

## *De Judicibus, & Judiciis.*

Num. 1. **J**udex, à *Jure dicundo*, sic dictus; est, qui Auhoritate publica, Judio præst, Justitiāmque inter Partes administrat. Ad Judicem autem præci- Puè spectat, singula maturè discutere: nec plus uni, quām alteri litigantium, affectum esse. Conjungere oportet misericordiam cū Justitia, ex quibus resultat æquitas. Ubi namque Justitia suum modum excedit, parit *Cruelitatem*: & *nimia pietas*, ac *misericordia*, *dissolutionem disciplinæ* generat. *Prol. T. 14.*

2. Hinc ad præcavendas omnes personarum acceptiones, lege cautum est. *1mò*: ut Judices omnes, eorūmq; Assessores, ac in Judicatu vices-gérentes, tam Tabulares, quām Comitatenses, priusquam officium exerceant, Jurent, se in omni negotio, ad officium suum pertinente, seposita personarum acceptione, prece, præmiō, favore, aut odiō posthabitis, justum, ac verum Judicium unicuique facturos. *Ulad. D. I. A. 33. & passim.* Unde fit, ut contra *Judices*, non *Juratos*, Partes excipere possint. *2dò*: ut Judices, dum eorum causæ in sede Judicaria discutiuntur, cum

tota sua Comitiva exeant. *Ulad. D. 4. A. 8.*  
 Neque ii, à quibus sit appellatio, vel alii quomodo cunque interessati, Revisioni causarum interesse possint. *A. 28. 1723.* Ex quibus, quemadmodum & ex *A. 15. 1635.* manifestum est, Judices interessatos recusari posse. *3tio:* ut Testis, Actor, aut Procurator, & Judex in eadem causa esse nemo possit. *Prolog. t. 16.* Imò si Procurator ( hic enim pro Actorre habetur: Actor verò, & Judex esse in eadem causa, seu eodem, seu diverso tempore, nemo permittitur; id quod etiam ad Assessores Judicium extenditur, *A. 14. 1471.* ) Simul & Judex in eadem causa quispiam esse deprehendatur; in homagio suo convincetur. *P. 2. T. 22.* Neque Judicibus leges ipse, sed per ipsas Judicandum. *Prolog. t. 6. 4tò.* ut unusquisque in sua dunta xat Parochia, a clavis Jurisdictionis suæ, Judicet. *A. 5. 1222.* Si inter Judices Ecclesiasticos, & Sæculares controversia; de competente alicujus causæ Foro, incidat; tunc lis dirimenda erit ab ipso Rege. *A. 12. 1405.* Neque Sæculares, causas Feri Ecclesiastici & econtra, judicant. *Ibidem.*

3. judex in Tribunali sedens, non secundum id, quod ipse privatâ scientiâ novit; sed secundum allegata, & probata, sententiam ferre tenetur. *Prolog. T. 15. & P. 2. T. 75.*

Quod

Quod tamen, Juris-Periti, intelligi solum *de facto*, non autem *de Jure* volunt: quandoquidem legem positivam, etiam *non allegata*, Judex in omnibus causis supplere potest. Unde si Judex extra Tribunal constitutus, videat quempiam, actu homicidium committentem; & hoc, vel non deferatur ad ipsum, vel delatum, non probetur sufficienter; Judex talem homicidam, nec ad torturam damnare, nec punire potest. Si autem Judice pro Tribunali sedente, coram aliquis peccet; potest illum sine accusatione, & ulteriori proba, pro merito plectere. *Prolog. T. 16.*

4. An autem Accusatum, & convictum de gravi criminis ( quem privatâ scientiâ, novit esse innocentem ) Judex Inferior, condemnare ad gravem pœnam v. g. *mortis, mutilationis*, aut his *equivalentem* possit? fusè discutit *Verböczius*; & tandem concludit: quod si nec Testes, aut alia documenta pro Reo convicto haberi, nec causa, sine scandalo, alteri Judici committi queat: tunc Reus secundum *allegata & probata* sit condemnandus. *Prolog. T. 15.* sed, quod Judex secundum id debet sententiam ferre, quod ipsi innoscit ut personæ publicæ; non autem, ut private. quia in re, licet plerique Theologi consentiant cum *Verböczio*, quo ad pœnam levierem infligendam,

non tamen quoad poenam mortis, aut huic equivalentem: cum occidere Innocentem, cognitum ut talem, sit intrinsecè malum. Et certè, secùs etiam publicus Justitiae Executor, uti *Carnifex*, evidenter sciens, Testes falsò Jurasse, vel Judicem iniquè sententiam tulisse; deberet eidem obedire, & innocentem interimere: quod tamen communis Theologorum cum *S. Thoma* negat, & assentiri videtur ipse *Verboeckius*. Prolog. T. 16.

5. Judices alii sunt *Ordinarii*; scilicet *Palatinus*, *Judex Curie*, & *Secretarius Cancellerius*, si presens fuerit: si autem non; *Locutus*, seu *Personalis*. *Mat. Reg. D. 6. A. 68.* & *Ulad. I. A. 33. &c.* Alii his inferiores, dicuntur *Pedanei*. Judices ordinarios, & eorumdem *Protonotarios*, & *Assessores Infamans*, aut *Injuriost Proscindens*, si probare non potest, pæna *Talionis* puniendus. *Ulad. D. I. A. 70.* pæna autem *Protonotarii*, de Injusto Judicio convicti, est amissio capitis, & Bonorum omnium. *Ulad. D. 3. A. 4.* quæ pæna, vi *hujus Articuli*, non videtur extendenda ad alios Judices, & hic non expressos. si tamen hominem *Capitularem*, *Regium*, aut *Vice-Comites*, vel *Judilium*, in executione legitimè procedentes, quispiam verbali dehonestatione afficeret, in una *Marcia auris*, 72. flor. faciente;

condemnatur. *Ulad.* *D. 2. A. 9.* & *16.* vide de *Emenda capitis & Linguae.* *Judex*, frivolas Procuratorum objectiones, & exceptions, ubi Juri, ac *Justitiae* contrarias agnoverit, rejicere debet. *P. 2. T. 83.* licet *Judices* legitimis *Regis* mandatis, sub pena 200. flor. admissione Officii, & *Infamia*, per *Curiam Regiam* ferenda, obtemperare debeant; per hoc tamen non vetantur discutere illam clausulam: *Rebus, sicut præfertur,stantibus &c.* sine qua nec subsistunt mandata seu *Regia*, seu *Judicum* superiorū ad Inferiores. *A. 78.* & *80. 1563.* & *A. 12. 1635.* qui tamen indebet *Judices Pedaneos*, ad reddendā non observationis rationem; ad *Tabulam Regiam* evocari ficeret, in 200. flor. *Ungaric.* convincetur: *A. verò 53. 1655.* in 400. flor. & si de legitimitate mandati, aut expositio-*nis* veritate, dubium oriatur: proba impetranti incumbit. Ac si quis mandatum illegitimum impetret, expositioque ejus non subsistat; in *Emenda linguae*, seu 100. flor. condemnatur. *Ibidem.* & *P. 2. T. 72.* quod potestatem *Judicium* attinet, vide de *Foro competente*. si qui errores in *Judicūm* quorumlibet litteris, uti evocatoriis adjudicatoriis, &c. ex manifesta inadvertentia, commissi fuerint; tunc ii per *Judices* etiam in *Comitatu*, in *Foro contradictorio*, semel corrigi possunt. *A. 24. 1566.* vide plura de *Officiis & Officialibus.* Tl.

## TITULUS XV.

*De Juramentis.*

**N**um. 1. **J**uramentum litis decisivum, seu quod in defectu aliarum probationum, præstatur; est 3plex.  
**1mò.** *Voluntarium*, quod Pars defert Parti, Judge non approbante: potestque liberè, vel referri deferenti, vel recusari, vel etiam præstari.  
**2dò.** *Judiciale in specie*, dum alter litigantium, defert Alteri, approbante Judge. Et hoc regulariter recusari nequit: sed vel præstari debet, vel referri Deferenti; petendo, ut ipsejuret. *Leg. 34. ff. de Jurejur.*  
**& A. 30. 1729.** **3tiò.** *Necessarium*, quod ab ipso Judge alterutri Partium defertur, & hoc neque referri (præter easus infra declarandos) neque recusari potest. Si deferatur Actori ad supplementum probationis; *Suppletorium*: si Reo ad se purgandum; *Purgatorium* dicitur.  
 Juramentum tamen ab altera parte delatum, nec referri, nec præstari jure debet: si is, cui defertur, jam aliunde sufficienter probavit: vel altera partium est suspectæ fidei: si tamen *Deferenti* referatur in persona propria depoñendum; tunc *Referens* amplius impedire non potest

potest illum à Juramento, nec *Deferens* secundò referre. A. 30. 1729.

2. Omnis communis Inquisitio, Juramenti depositione terminatur. P. 2. T. 32. Ubi multa de Numero, & qualitate Conjuratorum, ac modo juramentum deponendi. Sed omissis illis hujus Tituli decisionibus, quæ vel, Teste etiam *Kitt*: magnam partem, jam ab usu recesserunt; vel de *Testibus acturi*, referemus; Noto sequentia: 1<sup>mo</sup>: sicubi partes Testimonia habere non possunt, vel iis utinolunt; licitum est tam Actori, quam Reo, juramentum in sola utrinque persona præstandum, deferre. A. 49. 1596. Idque in causis *novarum occupationum*, ac aliarum *violentiarum*, & plerisque omnibus *Civilibus*. 2<sup>do</sup>. Cùm de Jure Actori proba incumbat; si Actor nihil probet (*demptis casibus occutis*) Reus simpliciter, ac sine ullo Juramento absolvendus est. *In occultis* verò ubi Actor neque *Testibus*, neque litterali documento quidquam probat; tunc si agatur de *facto Rei*, vel falso quod ipsi sit cognitum, Reus Jurare debet: quod præstito, absolvitur, & expensas eattenuis factas, recuperat. 3<sup>tiō</sup>. Si Actor solum probet *semiplenē*, & non de utriusque partis, sed tantum de *Facto Rei*, vel alterius quidem, sed quod ipsi sit cognitum, agatur; tunc de-

positio Juramenti deferenda Reo: quia is *semiplena* Actoris probatione gravatur, *factumq[ue]nter* Actori cognitum non est. Si verò in dicto casu *factum* sit utriusque, vel cognitum esse utrique sufficienter, præsumi possit (*in facto enim alieno, ac ignoto, versanti, juramentum suppletorium adjudicari non potest.* A. 30. 1729.) tunc licet Reus probam Actoris non diluat; Actori tamen potius jurandum erit. *4to.* Si autem Actor probet quidem, sed Reus ita diluat, ut quasi in æquilibrio constituantur; tunc ratio *Incatti* erit favorabilior, *simpliciter* absolvi debet; ita de his omnibus statuitur. A. 27. 1729. quæ tamen intelligi debent de casu, in quo, utraque pars litigantium, est ejusdem activitatis, ac prærogative Nobilitaris, atque omni exceptione major. Cæterum nec persona ignobilis, juramento se purgare tenetur: nisi semiplena adminis, contra eam proba adferatur. *Ibidem.* habetur autem *semiplena* probatio; quando non nisi unicus habetur Testis, aut est vehemens præsumptio.

3. Ex quibus eruitur; quod nec *in occultis casibus*, Reus teneatur, delatum sibi juramentum, acceptare; nisi saltē *Præsumptio* militet pro Actore. Arg. P. 2. T. 32. ibi: *Si Actor in attestacione sua per omnia defecerit; tunc Reus*

Reus simpliciter absolvendus. licet autem in causis Criminalibus, criminaliter intentatis, Reo ad sui purgationem, juramentum à Judice deferri possit, juxta C. fin. De Jure Fur. non tamen Actori, ad complendam probacionem; si tantum semiplenè probavit. Ita Pirbing cum aliis. ratio est: quia in his causis, requiruntur probationes plenissima, & luce meridiana clariores. L. fin. 6. de probat. Unde tali casu potius torqueri solet Reus, ad confirmandam Actoris semiplenam probationem: si verò ob conditionem, sit exemptus à tortura; simpliciter absolvi debet. Melius est enim 10. nocentes absolvi, quam unum innocentem condemnari. Idem est, de Causis Civilibus arduis, intelligendum: in quibus tamen Reo deferri potest, ad purgandum se à Judice juramentum. Si igitur prædicta, & ex Articulis anni 1729. citata, non observentur; potest quis contra juramentum sibi, seu à Judice impositum, seu ab Adversario delatum excipere: ac appellare intra Dominium. A. 30. 1729.

4. Quamvis juxta Tripart. P. 2. T. 27. & 33. Juramentum personæ ignobilis, penes, aut contra Nobilem (nisi partibus consentientibus) minimè valeret: jam tamen, in Criminalibus quidem, ubi veritas aliter elici non potest; in causis verò merè Civilibus. putà: Damnorum, Vio-

*Violentiarum. &c.* promiscuè admittitur. A. 26  
 1729. Servi quoque, & subditi, si veritas ali-  
 ter erui non possit, in Causis Civilibus, it-  
 quibus *interessentiam* non haberent; tam penes  
 quam contra Dominum, assumi in Teste-  
 possunt: in Territorialibus porrò causis, &  
 liis, ubi *interessentia* ipsorum præsumi quiret:  
 nec pro, nec contra Dominum admittendi. ibi  
 idem. Si Reus juramento solius Actoris, se, seu  
 decisionem causæ, submittat, & iste non ac-  
 ceperet; tunc illo absolvitur. P. 2. t. 32. nisi  
 rationem afferat legitimam non acceptationis  
 qualis esset, si jam sufficienter probasset, vel in  
 facto alieno versaretur; &c. idem est, licet tali  
 casu, à Judice imponeretur. A. 30. 1729. imo  
 Actore sufficienter probante, nec Reo potest le-  
 gitime adjudicari juramentum purgatorium.  
 ibidem. dum autem hic, & P. 2. T. 17. dicitur  
*in causa debiti, vel mutui, Actor nō probans,*  
*Reo jurandum esse.* intelligendum videtur, de  
 casu, in quo pro Actor saltem præsumptio  
 militet. Sapienter hic monet constitutio 1713.  
 A. 23. ut cautus sit Judex, in impositione ju-  
 ramenti, pro varietate casuum, pluralitatisque  
 deponentium habeat rationem.

5. *Juramentum Prelati, Abbatis, Præpositi  
 insulati, ac Baronis Regni; pro 10. Nobilibus  
 acceptatur;* & Ecclesiastici hujusmodi, non, ut  
 Laiti

*Laici, ad fidem eorum, Deo debitam; sed ad puritatem conscientiae sua, jurant. P. 2. T. 40. & quidem modus hic jurandi, extenditur ad omnes Personas Ecclesiasticas. Quamvis teste Com. syst. unica persona, quantumvis gravis, & Ecclesiastica, unum tantum Testem jam faciat. Archi-Episcopus porro Strigon: & Prior de Lövöld, juramentum in judicio per officiales suos præstant. A. 64. 1550. Quilibet homo ignobilis non nisi unum flor: juramento suo acquirere potest: ac proinde in causa, unum flor. superante, nec expurgare, nec condamnare suo Sacramentō, quemquam potest. Secūs tamen est in criminalibus. P. 3. T. 27. pæna porro perjurii (de qua vide de Panis) non sollet incurri, propter falsam Collateralium Testium depositionem: nisi eandem etiam in Judicio confirment. Kitt. C. 7. Q. 11.*

6. *Quidquid sit de stylo veteri; hodie quisvis Ignobilis, in actu majoris potentiae, contra Nobilem, vigesimo se, seu cum vigisma manu: in actibus vero minoris potentiae, si planè se immunem allegaverit, tunc itidem contra Nobilem, tertio se, sibi similibus, honestæ conditionis hominibus, in sui purgationem jurare assulet. A. 23. 1613. Quod si vero contra Ignobilem jurandum sit, tunc quoad numerum conjuratorum, attendenda erit loci consuetudo;*

in quo Reus moratur. P. 3. T. 27. pro recuperatione rei, furto ablatæ, satis est, si Acto juret, cum tertia manu. P. 3. T. 34. cui autem & quando juramentum sit deferendum? habet suprà N. 1. & 2. vide plura de Testibus.

## TITULUS XVI.

### De Jure Fiscali, Regio, ad Possessorio.

Num. 1. **F**iscus, Jure nostro, Aerarium Regis publicum significat, quod non nunquam Cameram Regiam dicimus, crebrius tamen, Fiscus significat procuratorem Aerarii Regii, seu Fiscalem; qui pro Majestate Regia, in Judiciis responderet. Unde etiam Director causarum Regalium, dici consuevit.

2. Privilegia, & Officia Fisci Regii, sunt sequentia: immens. quod non teneatur litteras producere, ratione quorumcunque iurium, ad sacram Regni Coronam devolutorum. P. 2. T. 39. Nec quidquam, contra aliquem probare obligatur. Kist. C. I. Quast. 4. N. 6. Hæc tamen intelligenda sunt, de Juribus, ac Bonis, ad Fiscum, jam effectivè devolutis, ac possessis: nam si Fiscus sit Actor, & agatur de Bonis

Bonis acquirendis, ac devolvendis; tunc actionem suam docere debet. Arg. A. 27. 1597.  
& A. 25. 1715. 2dum: quod in Judicio loco Regis, Juramentum, Regi adjudicatum, deponat. Ibidem. debet esse Juratus, & ex officio habet sessionem ad Tabulam Regiam, ibique sub discussione causarum Fiscalium, stat, sub deliberatione vero, exit: litteras praeter ea per Causidicos, in ipsa sede productas, non inspicit, nec tractat suis manibus. Albert.  
Reg. A. 23. 1439. 3tum. in cunctis litteris Procuratoriis ante nomina cæterorum Procuratorum, ponitur nomen Fisci Regii: quamvis etiam sine illius nomine, in praxi subsistant, 4tum: omnes causæ Fiscales sunt privilegiatae; hinc etiam Extraordinaria dictæ: quod quounque termino assumi possent. Hodie tamen, observata, cum aliis causis privilegiatis, prioritate, ad Tabulam Regiam ferè discutiuntur. A. 43. 1729. 5tum. Si Fiscus Regius vincatur, expensas non refundit: de Evictione tamen tenetur, praxis: non quidem respectu Partium cointeressatarum, inter semet ipsas, de successione, vel divisione Bonorum, disputantium, sed penes universaliter sumptas, contra alios Impetitores. A. 67. 1715. 6tum: ejus est, violatores Judiciorum iconvenire. A. 52. 1536. Ut & illos, qui publicum Regni statum

statum violarent. 35. 1601. Defendere item illos ( si requiratur ) qui à Rege privilegia habent; ut iis pacifice fruantur: ad quod per *Mandatum Regium* requiri solet. *Stylus.* Item cuncta litteralia documenta, in *Cameris Regiis* hærentia, suis Dominis reddere. A. 35. 1681. 7mum: contra usurarios, ultra 6. pro 100. exigentes: item ad amissionem privilegii, ac *juris Gladii*, contra malefactorum *Dimissores* habet agendi autoritatem. A. 120. 1723. & A. 48. 1715. 8vum: Succedit in Bonis mobiliis Nobilium, vel liberarum personarum, in Fundis Rusticanis degentium, & ab intestato, ac sine semine decedentium, aut Notiorum. A. 62. 1715. Vide de *Donationibus*. item de *Dote*. & alibi *passim*. Bona tamen Civitatum, nunquam devolvuntur ad Fiscum Regium. A. 33. 1542. & A. 35. 1638. *Nota* hic; quod licet Fiscus, etiam in Bonis, liberæ Acquisitoris dispositioni subjectis, succedat; si is sit ultimus, & ab intestato moriatur: tamen sensu A. 26. 1715. per hoc nō præjudicatur Uxori relictæ, & in omnibus hujusmodi Bonis succedenti. P. 1. T. 99.

3. Porro Potestates inferiores, ac Magistratus perinde habent suum *Fiscalem*, qui intra limites ejusdem jurisdictionis, æquè suis utitur privilegiis; habentque facultatem ea vindicandi;

di; quibus potestas, aut publicum Bonum talis Magistratus offenditur. Vide de Ingressione in Causam. sub fin.

4. *Jus Regium, est latens Jurisdictionis Sacer Corona;*  
 in Bonis, per quempiam illegitimum titulō usurpatis. P. I. T. 23. ut si quis Bona Nobilitaria cujuspiam Notorii, vel in semine deficiens, per viam pignoris duntaxat, vel sine consensu Regio, à se, vel ab aliis obtenta, taciturnitatis silentio possidet; tanquam si nullum in iis jus *Fiscus* haberet: seu demum hæc possessio fiat bona, seu mala fide. quo casu si possessor talium Bonorum, à *Fisco Regio* impetratur; is non potest se tueri præscriptione ordinaria 32. annorum; cùm in jure *Regio*, necessaria sit centenaria præscriptio. *Ibidem.* Jus Regium se extendit ad universa bona, quæ quo-cunque titulo ex iis, quos hic; item de *Donationibus*, ac *Impetrationibus*, adduximus; Donationi Regiæ subjacent. P. I. T. 27. Bona in *Fiscum* devoluta, non possunt conferri Civitatibus, aliisque communitatibus, utpotè quæ nunquam moriuntur. A. 33. 1542.

5. Nomine *Juris possessionarii*, generaliter intelliguntur *Castræ*, *Castella*, *Civitates*, *Oppida*, *Pagi*, & quæcunque Bona stabilia. Possessio dupliciter potest sumi. Imò. pro *Dominio*, usu, & *gubernatione* alicujus rei mobilis.

vel immobilis. 2dō. Sæpius tamen significat vil-  
lam, aut Pagum. Prædium, propriè dicitur lo-  
cus sessionis Nobilitaris, vel Zobbagyonalis, de-  
sertus, & quasi prædæ expositus. Pertinentia  
vel Appertinentia, sunt omnia illa, quæ ad  
Civitatem, Oppidum, aut Villam aliquam, vel  
fundum spectant; ut Terra arables, Prata,  
Virgulæ, Molendina, Telonea, aliaque Jura,  
fructus, & utilitates omnes. P. 1. T. 24. Quod  
Villam attinet; licet ea, jure nostro, passim  
pro Pago (Fatu) accipiatur; ut patet ex P. 1.  
T. 84. P. 2 T. 82. P. 3. T. 25. tamen primitus vi-  
detur significasse locum, intra agrum Possessio-  
nis cuiuspiam, pro pecorum statione erectum,  
ac tandem successivè pluribus colonis auctum.

## TITULUS. XVII.

### De Legibus, statutis, ac Decretis &c.

Num. I. **L**Ex, Constitutio, Decretum,  
Statutum sæpe in Jure nostro,  
pro eodem sumuntur: tametsi  
pressius loquendo, Constitutio, & Lex, Jus  
positivum, illudque Diataliter conditum signi-  
ficet; statutum verò crebrius pro Jure priva-  
to alicujus loci, accipiatur. Decretum deni-  
que,

que, præter dictam significationem, denotat *Madatum* litteratorium Principis, præceptorie sonans; quod etiam *Rescriptum* nominatur.

2. Quamquam omnia fere Jura nostra, Originaliter, ex Pontificiis, Casareique Juris fontibus promanarent; *Municipalis* tamen Regni hujus (ut habet *Verboczius*) in Judiciis, ac processibus, consuetudo ex tribus fundamentis constat. 1<sup>o</sup>: ex Constitutionibus, seu publicis Regni Decretis. 2<sup>o</sup>: ex Principum privilegiis, Justè, ac legitimè emanatis, & judicialiter approbatis. 3<sup>o</sup>: Ex Ordinariorum Regni Judicium Sententiis, litterisque adjudicatoriis, sive plius super eadem materia, eodem tenore latis, confectis, & executione juridica roboratis. P. 2. T. 6. tales namque sententiae (inquit Kit. C. 1. Q. 9.) quasi pro legibus usurpantur: præsentim ubi lex positiva non extat. Censent *Jurista*, tres sententias, per diversa, sibi met subordinata, Fora Judiciaria, aequaliter latas, sufficere ad consuetudinem processualem introducendam. Ceterum licet Sententias Judicium, absoluta legis condendæ autoritate pollentium, habeant vim legis; non tamen satis apparet, quomodo sententiae definitivæ Judicium nostrorum, nisi accedente Regis, ac Regni consensu, vim legis irrefragabilis habere possint: ut magna iis exempli autho-

ritatem inesse, rectè Kittonies censeat. Et hinc est, quod in ambiguis, rectè judicare censeatur, qui aliorum, in simili materia, *Judicium*, præsertim *Tabularium*, sententiæ inhæret.

3. Quamvis Gens Hungara omnem facultatem, condendæ legis, & cuiuslibet collationis possessionariae, atque potestatis *Judiciariæ* auctoritatem, in Regem suum, legitimè constitutum & coronatum transtulerit; attamen Rex absolute, ac sine consensu Regnicularum, legitimè convocatorum, *Constitutiones*, legibus, libertatibus Regni derogantes, facere non potest. P. 2. T. 3. & A. 18. 1635. Unde ad leges condendas, Rex indicere debet publica Comitia, seu Diætam Generalem; ad eamque celebrandam, *Status*, & *Ordines* Regni per litteras Regales evocare. *Ulad. D. 3. A. 1. & A. 42. 1683.* Nec alii ad Diætam comparere obligantur, quam qui hac ratione convocantur. Nomine *Statuum*, & *Ordinum*, intelliguntur 1. DD. Prælati. 2. DD. Magnates. 3. Nobiles. 4. Liberæ, Regiæque, & Montanæ Civitates. Ablegatorum Comitatūs, extra locum Diætae habitantium, *Salarium*, computatur à die motionis eorum. Ad Diætam nominatim vocatorum Bona, non solvunt expensas, pro Ablegaris Comitatum. *Mat. Reg. D. 6. A. 64. & A. 37. 1655.* uti nec bona Nunciorum, seu Ablegatorum, qui à Comitatū

tatu ipso, vel Prælato, aut Magnate mittuntur.  
*A. 134. 1647.* Nec constitutiones Diætaliter condicas, enervat privatorum quorumdam (bene autem statûs integri) contradic.  
*arg. A. 14. 1649.* per quem cassatur contradic.  
*Fisci Regii*, ac *Fiscalium Civitatem*, facta contra *Articulos Diætæ Anni 1647.* quod etiam lege *Transylv.* sancitum. Approb. p. 4. t. I. a. 46. modò consensus, & confirmatio Regia accedit; sine qua, vanæ sunt constitutiones.  
*P. 2. T. 3. & a. 18. 1635.* unde *autonomastice*, illæ soli Principi, interdum adscribuntur.

4. *Decreta*, & *Leges* tolluntur his modis.  
*Imò.* si contra legem, à Principe privilegium, legitimè alicui detur; vel *lex nova* condatur, priori omnino contraria; licet nullam ejus mentionem faciat: tunc enim illam penitus abrogat: si vero lex posterior, tantum ex parte, & non ex toto, legi priori contrarietur; tunc illi derogat, seu quoad illam duntaxat partem, tollit, non autem simpliciter. ubi tamen *Nontandum*, quod licet *Decretum*, vel *Lex Generalis* posterior, tollat priorem, itidem Generalem; non tamen *Particularem*; putà: consuetudinem, vel statutum locorum specialium, aut privilegium singularium personarum, licet contrarium: nisi expressam de his, per *Classam derogatoriam*, faciat mentionem, *P. 2o.*

T. 8. qualis *Clausula*, e. g. esset: non obstantibus quibusvis locorum consuetudinibus, statutis, aut personarum privilegiis. Quamvis AA. non pauci doceant, Generalem hujusmodi Revocationem, non obesse privilegiis, juri communis insertis. 2dō. tolluntur leges, per contrariam consuetudinem: cùm scilicet per taciturnitatem omittuntur, iisque, sine ulla positiva sanctione, passim contrarium practicatur: & sic abolitum est judicium *candentis ferri*, ac solutio Juvenorum. Atque his comprehenduntur  
4. modi, à Verbōczio P. 2. T. 2. relati.

5. Reliquæ autem leges, quæ dictis modis non sunt immutatae, aut penitus abrogatae (licet fortè longo tempore, ob circumstantias rerum, vel materia defectum &c. in usum eantibus deductæ non fuissent) vim suam nequam amissæ censendæ sunt; prout id patuit, in exemplo Nobilis cuiusdam, qui contra certum Protonotarium, in Diæta anni 1687. triumphavit, vigore A. 14. Math. Reg. D. 3. quō præcipitur, ut MM. Protonotarii, unicuique faciant Justitiam, sub pena consueta; & nec ipsi, nec eorum Assessores, Procuratores esse possint conformiter ad T. 2. P. 2. §. quando priores.

6. Constitutiones Regni hujus, primò ligant ipsum Principem, ut potè jurata, ad easdem observandas, promissione mediante, obstri-

ctum,

Etum : tum omnes *Indigenas*, & *Externos*, in Regno versantes : *Indigenas* quidem , statim à tempore promulgationis , post Diætam in Comitatibus fieri solitæ ; *Externos* vero , seu *Forenses* , & *Advenas* , quoad processum *Juris* , ac in rebus sibi non *penalibus* , vel *damnosis* ( si tempore promulgationis non aderant ) post *unum* mensem : in *penalibus* autem , ut est *amissio mercium* , mulcta pecuniaria &c. post *tres* menses P. 2. T. 5. Unde non habet hic locum sententia asserens : *Principes suis* ; *Peregrinos* , & *Advenas legibus locorum* non tene-ri : cùm enim *Forenses* , seu *peregrini* sub *hac tacite conditione* , in *Regnum* admittantur ; *ipsò factō* , sese *legibus Regni* submittere cen-sentur : nam cùm fueris *Rome* , *Romano vivite more*. *ibidem*.

7. Porrò si quid in lege ambiguum , vel obscurum fuerit , interpretatio ejus *Authentica* , seu vim legis habens , erit penes *Regem* , ac *Regnum* : nam ejus est interpretari , cuius & condere *legē*. *Prot. T. 6.* ut patet in multis *Ungaria legibus* , *Dietaliter declaratis* . quamvis pri-vilegiorum , ac statutorum , ex mera authori-tate procedentium , interpretatio , soli *Princi-pi attribuatur* ; sensu A. 16. 1715. Eandem vim habet Interpretatio *usualis* , ac legitima con-suetudine *introducta* ; donec *Dietaliter con-trarium*

trarium decidatur. P. 2. T. 2 Interpretatio vero doctrinalis, seu Doctorum virorum, tametsi probabilitatem faciat; obligationem tamen legis non inducitt. Hæc interpretatio, ut rectè fiat, ponderandus est *totus legis textus*, non autem aliqua solùm illius pars; & quantum fieri potest, juxta sensum communem accipiendus. Nec in odiosis, ob similitudinem rationis, ad alios casus, in lege non expressos, extendorundus; tum quia odiosa semper sunt restringenda; tum quia ratio legis, non est lex. L. 21. ff. de legibus. hoc tamen semper pro inclusso in lege censendum, sine quo illa foret inutilis, nihilque operaretur; aut absurdij cuiuspiam esset illativa. vide plura de Privilegiis. item de litteris. &c.

## TITULUS XVIII.

### De Legibus, & Statutis Transylvaniæ speciatim PARAGRAPHUS I.

#### De Legibus Decretalibus.

Num. I. **Q**uamvis omnia Decreta Divorum Ungariæ Regum, usque ad Ferdinandum I. etiam in Tran-

Transylvania allegati possint, nisi vel *lege positiva*, vel *consuetudine contraria*, vis illorum *obligativa* fuisset enervata, sensu P. 2. T. 2. pecuniares tamen D. Transylvanorum leges, è *Decreto Tripartito* (quas idcirco *Decretales vocamus*) hic afferre primum placuit. Itaque juxta T. 3. P. 3. 1<sup>mo</sup>. Nobiles Transylvani, *homagium suum integrum, florenis. 66.* Vivunt autem, seu *medium, 33.* exolvunt. 2<sup>dō</sup>. Procuratores suos, si in allegationibus suis errare advertant, eodem onere florenorum 66. in Terminis octavalibus revocant. 3<sup>tiō</sup>. Mulieres pro *Dotalitio suo*, recipiunt etiam florenos 66. quorum *duae partes, paratis pecuniis; 3<sup>tiā</sup> verò rebus mobilibus, & venalibus exolvi potest.* Si verò Nobiles sint minis possessionati, instar Scavoniæ, & Ungariæ Nobilium, Dotes Uxoribus suis extradunt: sic etiam Baronets, si qui sint ex officio tales; Baronibus Regni Ungariæ, hac in re conformantur. P. 3. T. 3. 4<sup>to</sup> pro actibus potentiaris minoribus, in 50. marcis, totidem florenos facientibus, Nobiles Transylvani convincuntur: Vice-Comites autem, & Judices Nobilium, *in duplo condemnantur. ibidem.*

2. <sup>stō</sup> Homagium Rusticorum integrum, 2<sup>s.</sup> *medium 12. flor. & 50. denariis compen-*  
*satur. 6<sup>to</sup>. Violatio Generalis Digestæ, & Con-*  
*ventionio-*

ventionis Nobilium, centum; sedis verò *Judicariæ*, 50. *marcis*, totidem florenos valentibus, taxatur de *violatoribus* publicarum consistit: vide infrà de *pénis*. 7mò. Ubi ratione debitorum, inter Nobiles nullum probabile documentum produci potest, vel etiam super illatorum damnorum recuperatione; tunc *Actor*, vel *Incattus*, ad 3. florenos jurare permittuntur: Conjuratores autem eorum singuli, florenos singulos recuperant. 8vò. In Processibus causarum; in quocunque *Foro* (excepto octavalì) discutiendarum, Birragia emergentia, per *marcas* 100. *denariorū*, exolvuntur: In *Foro* autem octavalì, per *Marcas* *gravis ponderis*, more in *Ungaria* recepto, 9nò. Causæ, valorem *trium flor.* non adæquantes, ex sedibus Comitatuum, non poterant in præsentiam *Vajvodæ* appellari. 10mò. Mutilatores membrorum; ut manuum, aurium: vulneratorésque in facie, & Eruitores oculorum, in 20. Excussores verò dentium, in 6. *florenis* condemnantur.

3. 11mò. In actibus violentiarum *minoris pœnitentia*, per Rusticum Patratæ, si Rusticus ex loco delicti aufugit; pœna violentiæ, Domino Terrestri ipsius Rustici cedit: Actor verò, seu pars læsa, solam compensationem damni illati, aut vulneris accepti, per Judicis limitatio-

nem,

nem, consequitur. 12<sup>mo</sup>. Si Rustici, pecora sua, violenter in damnum immiserint, & exinde abacta fuerint, vel etiam indebitè res aliquas arrestaverint; in estimatione pecuum, aut rerum arrestatarum, convincuntur. Atque in hujusmodi violentiis, etiam de Nobilibus, idem judicium observatur. 13<sup>ro</sup>. In facto recuperationis damnorum, ac debitorum, Rusticus Principalis, sive ille sit Actor sive *Incavus*; unum duntaxat florenum juramento suo recuperat: Conjuratores vero Rustici, tres simul, unum florenum recipiunt. Hactenus *Decretum Tripartitum*. P. 3. T. 3. sit. que confer cum sequentibus.

PARAGRAPHUS II.  
De Novellis Transylvaniæ  
statutis.

**Q**uando quidem DD. Transylvani, præter commune cum Hungaris *Decretum*, habent insuper duos legum suarum Codices (*Novellas* dicimus) quorum primum *Approbata*; secundum *Compilata* vocant; idcirco juvat quedam, usui magis necessaria, ex iisdem depromere. Eorum prior confirmatus est a Georg. Rákóczy II. anno 1653. posterior

verò, à Michaële Apafi, 1669. Partitio utriusque facta est, in quinque Partes; quarum priores quatuor, subdividuntur in Titulos: Tituli in Articulos: Pars quinta verò, Edicta continet.

Num. i. *Actus potentiarii.* Quid

hoc nomine intelligatur, dictum est prim. Parte Synt. definitur Potentia in Compil. P. 4. T. 16. A. 1. Quod sit Actus, quō aliquis, sine ulla Judicium, vel aliorum Officium, debita requisitione, quempiam capit, vel res, aut bona quacunque alterius, propria auctoritate, ac viribus occupat, vel detinet. quare peculiaria Transylvaniæ circa hanc materiā statuta, breviter sic habe. 1mà. Siquis meret, & absolutâ potentia mediante, Bona alicujus occupet; extunc Pars lœsa, Potentiarium ejusmodi certificet, se jus suum in Comitatu, aut Sede, contra ipsum querere velle: certificatiō nem tamen hujusmodi, vel admonitionem, ciatione minime subsequente. Ubi Potentiarius, seu compareat, seu non; tamen expositâ per partem lœsam causâ, ejusque veritate comperta, primū admoneatur de Restitutione rei occulatae, aut damni refusione. Et si ad simplicem admonitionē satisfactionē promiserit; ex eadem Sede, adjungatur Querulanti officialis aliquis, vel aliis, cui res assignetur. quod si dicto modō poten-

Potentiarius requisitus, satisfacere nolit ; tunc officiales Comitatūs, aut sedis , cum aliis sibi adjunctis, imò si aliter fieri nequiret, ipsi suprenni Comites etiam cum Gentibus , teneantur cum pena minoris potentie , restitutionem, ac damni refusionem facere, ipso factō. Relictā nihilominus facultate, tum parti læsæ , agendi ulterius propter violentiam : tum Potentiario, jus suum, extra Dominium , prosequendi. hic tamen Processus , tunc tantūm locum habeat, cùm neque annualis pacifica præscriptio, neq; legitima, & immiediatā successio , occupanti suffragatur. Approb. P. 3. T. 8. A. 1. id quod etiam ad Bona, in Fiscum illegitimè devoluta , extensum est. ibidem. A., 2. 2dō. Si quis forte Fiscalis , potentiam patret , citetur ad Sedem Judicariam Comitatūs, in quo potentia patrata est ; & ex propriis ejus bonis , Actori satisfactio impendatur. Approb. P. 4. T. 1. A. 42.

2. 3tiō. Potentiarius, ratione aliquorum bonorum jure conventūs: si litependente, illa defolari ultrò sineret ; tunc Actor triumphantis , etiam ad damni, exinde emergentis, refusionem agere poterit. ibidem. a. 6. 4tiō. si persona Ignobilis , potentiam aliquam , seu violentiam , aut damnum patraverit ; à Domino ejus Terrestri , judicium petatur : qui sine mora , imò pec! sedem Judicariam expectando , coram u-

no ex Vice-Comitibus , judicium impenderet teneatur , *intra octiduum* : Unde dabitur *Appellatio* ad Comitatum. Actus minoris potentiae *Revisio* , ad *Tabulam* non admittitur ; neque tamen via , ad Principem provocandi intercluditur. Quod si Dominus Terrestris legitime , ut præfertur , requisitus , Judicium , ad præfixum diem , non impenderet ; ad Comitatum citetur , & cum singulorum *Fobbagyonum homagii* , teneatur illud impendere : si vero etiam tum , contumaciâ ductus , id negligeret ; re iterum ad sedem reportata , in actione *Actoris* convincatur indilatè *ibidem a. 28.*

3. 6to. Si quis Bona , legitimo hæredi semel Judicialiter restituta , etiam secundò reoccuparet ; tunc comperta in Comitatu , vel sede , rei veritate ; ipso factò , in pena majoris potentia , condemnetur : si vero tertio idem ficeret , servatis de Jure servandis , capitalem panam incurrat. *Compil. p. 3. T. 7. A. 1. ubi 2da, & tercia reoccupatio* , numeranda esse videtur cum iusta occupatione , ante restitutionem judicariam , facta. Ex hoc loco etiam patet ; *Actum majoris potentia* , nec in Transylvania inferre amissionem capit , & Bonorum simul ; sed ad summum disjunctivè. 7mo. si qui absolutâ potestate mediante , in sylvam alienam , villamque turmatim iverint , & loci ejusmodi *Possessores* , aut

aut Incolæ, ipsis resistere non valentes, rem ad officiales Comitatūs, aut Sedis, detulerint, comperta rei veritate, in 100. flor. convincantur: unā medietate Actori, alterā Executori- bus cedente. Si verò Potentiarii ejusmodi, pri- vativim, aut non ita numerosi, simile quid pa- traverint; servetur processus, suprà relatus. in- bidem. A. 2. vide infra de *Damnis. Judiciis.*  
Ec.

### Num. I. *Arrestatio. De Arrestatione;*

seu detentione hominum, aut rerum; statu-  
untur potissimum sequentia: quibus hoc præ-  
mitto; *Arustum*, juxta Compil. P. 4. T. 16.  
A. 1. sic describi: cùm quis certa Civitatis,  
Pagi, aut loci Officiales, prius requirens, quem-  
piam in Persona, vel rebus detineri facit. Unde  
vides *Arsti*, à potentia, differentiam. arrestatio  
enim, propria auctoritate facta, jam est  
*violentia*. Imò. igitur ad nullius instantiam, ac-  
cusationem, aut mandatum, Persona Nobilis, aut  
res ejus, absq; debito juris Ordine Arrestari, ac  
detineri à quoquam possint; sub pena Decretali,  
quinq; Casuum. quod extenditur tam ad Capiem-  
tem, quàm ad Mandantem. Approb. P. 3.7.11.

A. 1. pro indebita autem Jobbagyonum, &  
quorumvis, in hoc Regno certas Residentias  
habentium, rerumque ad eos pertinentium,

Arestatione; 200. flor. exiguntur: quæ pæna partim Actori, partim Judicibus, ac Executo-ribus cedat. *ibidem.* Èâdem pænâ Executores *ipso*s manente, siquidem eorum culpâ, ex-ecutio impediretur. 2dò. si pecus furtô ablatum, apud Nobilem inveniatur; non Nobilis, sed pecus detineatur, ad usque *terminum competen-tem*: ille verò teneatur comparere, ac se defen-dere. *ibidem.*

2. 3tò. Excipiuntur hinc. 1. casus *Decreta-les*, de quibus verbô: de *Casibus, in quibus No-biles captivari &c.* egimus. 2. Nobiles, nullam certam Residentiam habentes, & violentiam pa-trantes: hi enim, ad instantiam partis laſe, de-tineri possunt usque ad tempus Judicij. 3. ex-cipiuntur illi Nobiles, qui *contractualiter* cum Arestante huic suæ libertati renunciarunt; cum talibus enim agi potest secundùm Con-tractum. 4. ex eadem ratione, *contra Vades* (Kezes) juxta tenorem initi contractus, pro-cedere quisque valebit, modò litteræ obligato-riales, priùs rectè discutiantur, & pars utraque audiatur: neve Jobbagyones cum *præjudicio* Dominorum terrestrium, supra homagium suum, onerentur; vel hâc occasione, in personis suis abalienentur. *App. P. 3. T. 11. A. 2.*

3. 4tò. Quod si aliqui, per errorem ( quo-gum neque Nobilitas, neque certa in Regno Refl-

Residentia nota esset) detineantur; *Officiales*, ac  
*Detentores* erunt excusati: quamprimum autem  
 vel *duobus testibus*, conditio hominis detenti,  
 comprobata fuerit, eō factō *Instantes* juribus su-  
 prā relatis, sub eadem *pēna*, se se accommodare  
 teneantur. In prædictis autem casibus, ob *inde-  
 bitam fortē arrestationem* factam, *judices* culpari,  
 aut in jus citari non possunt; sed *Instantes. ibi-  
 dem. A. 3. & Comp. P. 4. T. 16. A. 1. 5tō.* his non ob-  
 stantibus, *Malefactores*, tam in Civitatibus Sa-  
 xonicis, quām Ungaricis *Sententionatos*, vel *in  
 loco delicti, in flagranti, deprehensos*; vel apud  
 quos *Jumentum, furtō ablatum, reperiretur*; ta-  
 les inquā si *Ignobiles* sint, *Judices* liberē, vel sua  
*authoritate, vel ad instantiā aliorū, Arrestare va-*  
 leant: cum *Nobilibus* tamen *juxta continentiam  
 Decreti, & Articulorum præcitorum, proceden-  
 do. Approb. P. 3. T. 80. A. 4. 6tō. si cuius gregar-  
 tim pecora, damnsī alicui inferant; tunc, *grege  
 permisso, pecorum custodes, vel res ipsorum are-  
 stentur, usq; ad satisfactionem, ab his ipsis desu-  
 mendam. idē intelligendum de aliis, onera huc,  
 illuc vectantibus, & *damnum, aut violentiam  
 aliquam in pratis, vel alibi patrantibus. App-  
 prob. P. 5. Edic. 6. 7. & 8. 7mō. Hominem  
 indubitate Nobilitatis, non nisi in *flagranti cri-  
 mine* arrestare liceat. Comp. P. 4. T. 16. A. 1.  
 8vō. Personam ignobilem potest quis capi cu-***

rare, etiam ob solam facti suspicione, idem est de Persona, cuius Nobilitas est prorsus ignota. *Ibidem.* modò captum, ( ubi scilicet privatus Nobilis calem arestat ) ad manus Officialium assignet, & Dominum Terrestrem capti hominis, certificet. *Approb. P. 3. t. 47. A. 3.* Unde videlicet, pœnas hic *N. 1.* relatas, non nisi propter indebitas Arrestationes incurri. *9no.* homines, præviò modò, legitimè arrestati, ultrà quindenam, non detineantur injudicati, sed vel convincantur, vel dimittantur. *Comp. P. & T. cit. A. 2. V. p. 1. Syntag. Tit. 17.*

### Num. I. *Contributio.* 1mò. Connue-

meratio Contributionum, olim secundùm Portas ( nunc Calculos, Rovás ) fieri consuevit; una Portâ, 10. homint̄ Contribuent̄, in se complectente. Nec obstat, si quando numerus iste alicubi excedat numerum demarium: si qui tamen Incolæ Connumerati adhuc non essent, tenebuntur in contributōibus juvare cæteros. *Approb. P. 3. t. 2. A. 3.* 2dò. si autem numerus Contribuentium decrescat; tunc alii, inde discedentium, vel emortuorum Territorium possidentes, pro iis contribuant: imò si Patronus ( Dominus Terristris ) ejusmodi bona à Colonis deserta, pro se usurparet; tunc vel per se, vel per subditos, pro cetera Contribuere tenebitur: sūn mihius, Bonz per-

permittat Pago usuanda. Excipiendo hinc Possessiones, quæ per pestem, aut alia ex causa, vel quoad totam Portam, vel quoad partem illius, desolarentur. *ibidem. A. 4. 3rdo.* Contribuunt etiam Manumissi, si Nobiles non fuerint, nec per Principem exempti: qui quidem extime non potest ullius possessionem, nisi ad certum tempus. *ibidem A. 2.*

2. *4rdo.* Pro villis, seu Pagis, ac possessionibus desertis, Tributum nullum exigitur, donec locus inpopuletur: nec à Nobilibus contra eorum prærogativam. Ne tamen Fiscus defraudetur; si qui subditorum aliò, quoquomodo translocarentur, iidem ubicunque sint, solvere pro rata prioris Porte, teneantur; neque eorum onus, sive Domini Terrestres, seu villani ceteri supportare sint obligati. *ibidem. A. 5. & 6.* si qui Pagi damnificantur, & vel ex toto, vel ex parte, incendio conflagrent: ii per triennium, à Contributione immunes sint. *ibidem. A. 8.* Perceptores Contributionum, Jurati esse debent, nec Contribuentes invitos, ad obsequia sua, aut quidquam aliud cogant: contenti duobus denariis, pro schedula dari solitis. *ibidem A. 10.* Contributionum verò administratio, sub pæna 12. flor. sine causa rationabili, differri non debet. *ibidem. A. 7. 6rdo.* hinc in extraordinaria Nobilitatis Contributione, extraordinaria

etiam adhibita remedia; ut si quis Nobilium, ratum pro certa possessione tributum solvere non potuisset, aut noluisset: tunc alter ejus loco solvens, dictam possessionem occupare, & usque ad refusionem, tenere potuerit. imò hæc ipsa Contributio, à Bonis impignoratis data, tempore relutionis, præter summam capitalem, compensari debuerat. Comp. P. 5. Edic. 33. & 34. Edictô autem 40. præter pænam 12. florinorum, jubentur Bona, contributionibus onerata, in casu negatæ solutionis, occupari per officiales, & pro solvere volente, assignari. vide ibidem infaustam pro Porta Othomannica factam contributionum seriem: quæ tamen in aliis casibus locum habere nequaquam videntur.

Num. 1. **DAmna.** imò. si quorum pecora in alienum Territorium, licet specialiter non prohibitum, sed villanis commune ( Nyomás ) Pascuationis gratiâ, absque licentiâ possessorum, imitterentur; tunc ea abigi, seu invagiari possunt: quo casu Invagians, pro majoribus, dhos; pro minoribus vero pecoribus singulis, unum duntaxat denarium ( hajtò, aut váltság pénz ) exigere potest, toties, quoties: si quis verò plus exigeret, ( uti faciunt, quæ alienas, ob id Decimantes ) per officiales im-

les in 12. flor. convincatur, eo facto: duabus Actori, *tertia* verò partibus, Executori cedentibus. Si ab igenti, seu Invagianti potentiose aliqui resisterent; tunc ad *requisitionem* ejusdem, Judices pñnam minoris potentiaz ( *violentia* ) in refractariis exequantur. Quòd si verò etiam *Verberatio*, *Vulneratio*, aut *Homicidium* contingere; tunc juxta meritum causæ, procedatur. *Approb.* P. 3. T. 33. A. 1. 2dō. Cùm pecorum perditorum investigatio ( *Nyomás Kôvetés* ) multis hactenus perjuriis, ac Innocentum damnificationibus occasionem dederit ( nam pecora furtô ablata, sèpè vindictæ studiô, fures ipsi in certorum locorum Territorium impulerunt ) idcirco, si cuius imposterum Jumentum, in villa, vel Civitate perditum fuerit ( *nisi de Famulo domestico, justa sit suspicio* ) & damnificatus, vel ejus homines juramento testati fuerint, in tali loco, tanti pretii pecus amissum esse; ex tunc teneantur Civitates ejusmodi, aut villæ intra quindenam, vel furem sistere, vel damni refusionem facere. *ibidem* T. 34 A. unico.

2. Quòd si facere *contumaciter* renuerint; damnificatus cum Officiali cujuscunque loci, eos convenire, & Executionem in duplo facere queat: *rescissis omnibus iuris remediis*. *ibidem*. vel si pecus perditum, apud aliquem, vel aliquos

liquos, etiam *Siculos*, reperiatur, illi teneantur Evidetorem (*Szavatost*) statuere: in quo Damnificatus, expensarum, fatigii, ac damni sui refusionem querere possit. *Compil.* P. 3. T. 8. A. 14. & P. 3. *Decreti Tripartiti* T. 34. *Siquis* in Civitate, aut Pago, seu Villa, apud aliquem divertat, eiq; res suas, in fidelem custodiam tradat; & successu temporis, rehabere ab eo non posset, eò quod furto, vel aliter rem periisse dicere; tunc *comperta rei veritate*, Officiales rebeantur Depositorem ejusmodi contentare. *Approb.* P. 3. T. 34. *in fin.*

3. 3tiò. Si, dum vestigia animalis perdit*(Az el veszet marhának nyoma)* ad territorium alicujus villæ, vel Civitatis, aut oppidi pertigerint, ibique desierint, aut animal excoriatum repertum fuerit; si inquam hoc casu, *Damnificatus* ad ejusmodi vestigia, aut animal, juret: tunc Incolæ loci illius, satisfactionem impendere tenebuntur. *Compil.* P. 5. *Edict.* 24. Qua in causa (*ubi tamen eò remedio ab antiquo utuntur; ac hodie etiam uti volunt*) si homo Damnificatus, Vice-Comitem secum evocet, i. *florenum*; si supremum Judicé (*Főbirót*) 24. denarios solvat: juxta usum antiquum. *Ibidem.* quod tamen de prædiis desertis, non est intelligendum: nec hoc *remedio* uti compelluntur, qui hactenus eodem usi non sunt;

sunt; ita tamen ut neque ipsi alios ad id cogere possint. *ibidem*. Vide de his plura *Approb.* *P. 5. Edic. 37.* & verbô *de Damnis.* *P. I.* *Syntag.*

**Num. I. *Debita.*** Circa hanc materiam, observandum est: *1mo.* Universim loquendo, *Debitor* juxta initum cum *Creditore* contractum, Juri stare debet. De reliquo, si extraneus aliquis, *Creditum suum*, à *Cive*, seu *Urbis* aliquujus *Incola* aliter rehabere non posset; tunc *Debitorem*, ad *Judicem* competentem illius *Civitatis*, faciat citari: ubi, si *Debitum liquidatum fuerit*; absque ulla *partium* acceptione, aut *dilatatione*, *Creditori* statim satisfiat; si verò *casa* non esset *liquida*, una *quindena* assignetur: & tunc terminetur finaliter. Satisfactio porro non ex *inutilibus* rebus, aut *pecoribus*; *verum* ( si habeantur) ex rebus *aureis*, *argenteis*, *vino*, *pecunia*, *tritico*, &c. fiat, quorum *estimatio* sit penes *Juratos*; qui si *pluris*, aut *minoris*, quam par est, *Res estimaverinr*, *comam* ejusdem loci *Officialibus*, in' 200. *forenis* *convincantur singillatim*: duabus *tertialitatibus* *Pro parte Judicum*, unâ *pro Querulante*, *cedentibus*: insuper in *refusione damni*, *iniqua sua estimatione* causati; *toties*, *quoties*. *Approbat.* *P. 4. T. 4. A. I.*

2. *Æstimatoribus* verò non inventis , aut eorum bonis non sufficientibus ; hæc ipsa pœna , ex bonis *Debitoris* desumatur , aut etiam in persona capiatur. Denique si Judices requisiti , satisfactionem non impenderent , aut *Testimoniales* , super ea re , litteras non darent , tunc *Damnificatus* liberè poterit quemvis , ex tali Civitate , vel Pago ubicunque arestare. *ibidem.* 2dò. Debitum verò 100. *florenorum* , si ne ullis omnino*Juridicis* remedii ( ut sunt , *Exceptio* , partium *Extradatio* , *Appellatio* &c.) imò etiam sine *Exmissione* , si causa sit liquida , executioni mandetur. *ibidem.* & T. 7. A. 2. 3tiō. Si Debitum , litteris , vel *humanis* *testimoniis* comprobatum ; ad simplicem requisitionem , quis reddere nollet ; tunc *Officiales* ibidem requisiti , de facto Creditorem contentet , si mobilia non extent , etiam de immobilibus ; vel certè Debitorum detineant : secùs *Officiales* ipsi , pœnâ *Articulari* 200. *florenorum* , tenentur ; toties , quoties : ad cujus executionē obligatus sit *Director* , absque ullis remedii*Juridicis*. Si autem *Debitores* defecissent , aut emortui fuissent , in eorum successores *Debitum* transit. Et hoc processu uti possunt , tam *Cives* , contra *Nobilem* ; quam Nobiles contra *Civem*. *Complil.* P. 4. T. 15. A. un. Cæterū si *Cr-*

Si Creditori placebit, potest procedere etiam penes litteras *contractuales*, seu *obligatorias*. *ibidem*. vide verbō *Arrestatio. in fin.* quod qui-dam etiam ad *Debitores* extendunt. Item *Có-pilata*, P. 4. T. 16. A. 2. ubi à *Debitoribus* judicialiter convictis, conceditur facultas, pe-nes litteras *Sententiales*, ubique *Debitum*, et iam per *Arrestationem* exigendi.

**Num. 3. Decimæ imò. Nobiles, juxta prærogativam Nobilitarem, neque ex frumento, neque ex ulla aliis rebus suis ( licet fundis interentur *Rusticanis* ) Decimam dare, aut sche-dulam ( *Czedula pénz* ) redimere tenentur; nihilominus tamen plebs misera ( ne hoc prætextu *Decimæ defraudentur* ) sufficientibus, pro condi-tione sua, agris privari non debet per Domi-nos suos Terrestres. Neque *Decimæ* accipian-tur ad *selectum*; sed *promiscue*, & *mixtim*; pro-ut est procreatio. *Approb. P. 2. T. 10. A. 1: 2do.* Ex agris, à *decimatione exemptis*, licitum est, ante *communem vecturam*, fruges invehe-re: pecora tamen etiam *Nobilium*, occasione *vectura*, vel alias, priusquam omne frumentū *avectum* fuerit, ibidem non pascantur; sub mul-ta 12 florenorum, ac refusione damni, medio Vice-Judicis *Nobilium*, vel in hujus defectu, *Nobilis* alicujus acquirenda: si nec iste haber-i posset,**

posset, assumantur duo Cives ad oculatam: à quibus habitō testimoniō, Executores Comitātūs, aut Sedis simpliciter requisiti, vigore hujus Articuli, procedere teneantur. *Approb. P. 3. T. 5. A. 1.*

2. 3tō. Tum à Valachis, tum ab aliis omnibus, specialiter non exemptis, in toto Regno Transylvaniæ, indifferenter Decimæ exigantur: scilicet quoad *Vinū, Frumentū, Leguminas, Porcos, Oves, & Apes.* Neque Fisco Arendā solvere Patroni teneantur; nisi in locis, Arende haētenus subjectis, residerent. *ibidem A.*

2. 4tō. Decimæ ex Agnelli, Melle, Vino, peoribus, ac Leguminibus obtingentes, diu differri non debet; sed intra duas à Festo S. Martini septimanas, recipiantur: nisi ipsi Decimandi aliquantum differri peterent: secūs enim de Damno, inde emergente, nequaquam sint obligati. *App. P. 2. T. 10. A. 2.*

3. Decimæ *Fiscales*, post *Annum 1588.* perennaliter abalienatæ, instar aliorum Bonorum *Fiscalium* redimantur: si verò ante dictum annum fuissent abalienatæ; maneāt apud suos Possessores. *ibidem A. 5. 6tō.* Quandoquidem etiam in iis locis, in quibus per Arendam, Decimæ à Fisco redimuntur, agnelli tamen, ex parte Fisci Decimantur; dignum est, ut etiam *Saxones* omnes, veluti peculium *Fisci*

*Fiscale*, Decimam ex agnelli Fisco præstent. i.  
*bidem A. 6. 7mō. Decimatores, Exactio-*  
*nas extraordinarias, non faciant; nec ante tempus*  
*comparant, pro se, suisque viduum à milera*  
*plœbe extorquendo, præter solitum: nec i-*  
*vectores Decimarum detineant. Demum si in Vi-*  
*no, aut frumento damnum aliquod, Fisco, &*  
*Possessori commune illatum fuerit, utrique pro-*  
*rata refundatur. Approb. P. 5. Edic. II. 13.*  
*I. & Compil. P. 2. T. 4. A. I. 2. 4. 8vō. si*  
*quis ex alieno Territorio Decimas, absque li-*  
*centia, cum damno Nobilis cuiuspiam, aspor-*  
*tari faceret; tunc si is esset Ignobilis, 12. flor-*  
*enos, si Nobilis, 200. restituere, cum Decimis*  
*asportatis, teneatur. Compil. P. 2. T. 4. A. 3.*

*Num I. Educilla.* 1<sup>mo</sup>. Ordo, & Mo-  
*dus Educillandi, per Officiales limitetur, juxta*  
*quantitatem Bonorum cuiusvis Possessoris por-*  
*tionati ( Compossessoris ) qui sub pœna 12. flor-*  
*mediō vice Comitis, aut Judicis Nobilium de-*  
*sumenda, observari debet: insuper, in casu*  
*transgressionis, Vas inchoatum pertundatur,*  
*vel per Executorē auferatur. cuius pœna duæ par-*  
*tes Querlanti, tertia Executori cedat. id quod*  
*locum habeat, esto vinum jam effluxisset: &*  
*quidem etiam quoad Educilla, in Domibus No-*  
*bili-*

bilitaribus erecta. Si quis autem ex Patronis proponeret vinum ineptum; tunc is, qui post illum ordine, educillare deberet, per Vice-Comitem, aut Judium, vinum gustari faciat: & comperta rei veritate, ipse liberè educillet. Officiales verò in his requisiti, sub pæna 200. flor. exire teneantur. *Approb.* P. 3. T. 32. A. 1. quæ etiam ad *Bona Fiscalia* extenduntur.

2. 2dō. Persona Ignobilis, vel Ecclesiastica, sine consensu Patronorum, his educillantibus, educillare, sub pæna prædicta, simpliciter non audeat: uti nec Cerevisiam vendere. *ibidem*. 3tō. hæc exclusiva contra Ignobiles, ac Villanos, locum habet, tametsi illi hederam non exponant, vel vinum non in, sed extra Pagum, in campo, aut sylvis educillarent: ita ut quot vasa vini comperta fuerint, toties 12. floreni exigantur, per Vice-Comites, vel Judium, vel mediò Vice-Judicum Regiorum, vel in horum defectu, mediò Vice-Judium, vel juratorum Sedium. Nec Nobilis portionatus, Jus suum educillandi, in personam Ignobilem, ac Jobbagyone transferre possit. *Compil.* P. 3. T. 6. A. 1. 4tō. Siculi (cùm vino careant) indiferenter omnes possunt Cerevisiam educillare. *ibidem*. A. 2.

**Num. 1. Fiscus.** 1mō. Bona Fiscalia (Un<sup>garis</sup>

garis provenitus Regii, seu ad sacram Coronam pertinentes; ut sunt Civitates Libera, Tricesima, Fodina &c. juxta Ulad. A. 3. 1514. ) post annum 1588. perennaliter ab alienatæ, ad Fiscum redcant, ab iis tamen Patriæ filiis, quibus vel propter merita, vel ob pecuniam data sunt, simpliciter non auferantur; sed vel in debita summa inscribantur, vel ipsi aliter contentur. Approb. P. 2. T. 8. A. 1. 2dō. Bona Fiscalia ab Anno 1615. inscripta, juxta tenorem, Donationalium, suis possessoribus relinquuntur, usque ad summe inherentis depositionem, ac relutionem: quorum collatio, etiam impostarum Fisco sit libera; modo nec per annaliter, ne supra valorem inscribantur. ibidem. 3tō. si quis ex Bonis inscriptis Jobbagyones manu-  
mitteret, vel in aliam possessionem translocaret, ac tempore relutionis, seu redemptionis, restituere nō posset; id ex summa inherentे defalcatur. ibidem. ubi etiā pœna, Bona non remittentium.

2. 4tō. Fiscalia hujusmodi Bona (in quantum peculiares Principis provenitus significant) connumerantur sequentia: Huszt, Kővár, Szamos-Ujvár, Várod, Gyalu, Kolos-Monostor, Fejérvar, Déva, Fogaras, Görgény, Kárán-sebes, Lugos, libera Civitates, & Oppida libera, Temes, Tricesime, Fodina omnigena, Töresvára, Lippa, Jenő, & Mallei ) Vashámorok ) ab

antiquo Fiseales : & hæc , sensu etiam A. 3.  
 1514. cit. ab alienari perennaliter nequeant, ne-  
 que ab ullo præscribi. Approb. A. suprà cit.  
 5tò. Porro cætera Bona , ad Fiscum , seu titulō  
 defectūs , seu per Notam , aut qualitercunq; devo-  
 luta , vel imposterum devolvenda , liberè per  
 eundem possunt , etiam in perpetuum ab aliena-  
 ri : ità tamen , ut Bona per defectum . aut No-  
 tam , devoluta , Princeps pro se , vel Consorte ,  
 vel Filiis suis , absque consensu Regni , non  
 reservet ; sed personis bene meritis confrat. ibi-  
 dem. A. 4. & Compil. P. 2. conditione. 21. item  
 P. 4. T. 10. A. 14. quo Titulō , Terra Fogaras ,  
 & aliæ quædam possessiones , exemptæ sunt à  
 Fiscalitate . Vide in horum recuperatione , Pro-  
 cessum eodem Titulō Approb. fusè descriptum.  
 6tò. si quis Nobilium , in Bonis Fiscalibus ha-  
 bitantium , Vineam desolatam cultivare vel-  
 let , priùs cum Præfecto Fisci conveniat : &  
 si locum eundem Jobbagyones colere nollent ;  
 ipse erga Decimam possideat liberè . Approb. P.  
 5. Edic. 23. quid in casu Defectus faciendum  
 sit ? habes Approb. P. 2. T. 8. & P. 4. T. 3.  
 Num. 1. *Jobbagyones.* Imò. Domini  
 Terrestres , legitimas , & Dei , ac Regni legibus ,  
 non contrariantes Subditorum suarum nuptias ,  
 impedire prohibentur ; sub pæna 100. flor. si ve-  
 rò illas clam nuberent ; eandem pænā incurvant.  
 add.

2dō. Relicta Jobbagyonis, unam duntaxat Bonoru  
mobiliū tertialitatem habet; duabus tertialitatib-  
us Dño Terrestri remanentibus. 3tō. Filia Ru-  
ssicana, nuptui tradita, præter vestitum, nihil  
ex Bonis paternis, secum auferre potest: Bona  
vero immobilia, ex toto sunt Dñi Terrestris:  
exceptis tamen locis, hac in re privilegiatis, &  
longo usu roboratis. App. P. 3. T. 30. A. unico.  
Nec subditus vadimonium (*Kezesség*) cum præ-  
judicio Dñi Terrestris, sine ejusdem consensu,  
præstare potest. Arg. App. P. 4. T. 5. in fin.

2. 4tō. Uxores Jobbagyonum, sine consensu  
Domini Terrestris, militiam profitentium, vel  
aliter abeuntium, servire pro sua conditione  
tenentur; uti & quantū portionale solvere. App.  
P. 3. T. 31. A. 3. P. 5. Edic. 29. Fugitivi pariter,  
& pro portionali quanto jam calculati, post redu-  
ctionem, partem sibi obtingentem, & ab aliis so-  
luciam, refundere tenentur. Approb. T. 31. P. 3.  
A. 7. Repetiti vero Coloni, restitui debent, sub  
pena 100. flor. ibidem. a. 8. 5tō. Repetitio porro  
Colonorum fiat medio Iudicis Nobilium: si ad  
eius petitionem non restituatur Colonus; tunc  
Pars in causam Attracta, citetur ad sedem Co-  
mitatus, intra octiduum in Transylvania, in Par-  
tibus vero intra quindenam: ubi si Incattus di-  
lationem petat ad producenda testimonia ulte-  
riora, dabitur quidem ei, sed in proxima sede

convictus, abscissis omnibus Juridicis remediis :  
cum homagio , & pana minoris potentiae con-  
demnetur. si vero ante sedis securitate diem :  
restituat ; nulli pæna sit obnoxius. In casu con-  
victionis per non convenientiam , Convictus reme-  
dio prohibitionis , vel Novi simplicis , uti poter-  
it ; sub pana predicta , sententiam accepturus.  
*Approb.* P. 4. T. 5. A. 1.

3. Cæterum liberum erit Actori , causam hu-  
jusmodi Repetitionis , agere etiam in Tabula .  
*Comp.* P. 4. T. 1. A. 1. ubi A. 2. datur novus processus ,  
vi cuius Jobbagyones ab Anno 1657. à suis  
Dominis alienati , ex omnibus locis , etiam Fi-  
scalibus , ac Fodinis , productâ ; Prætendentis Re-  
latoria , compertaque rei veritate , locorum e-  
jusmodi Possessores , Magistratus , Prefecti , ac  
Officiales , ad simplicem requisitionem , vel defas-  
to , vel ad octavum restituere teneantur ; sub  
pena 200. flor. si vero aliqui Executionem sive  
Repræsivè , sive aliter non admitterent , tunc ubi  
cunque talismodi loci Incolæ , vel Bona repor-  
tarentur : satisfactio exinde fieri possit. *ibidem*.  
A. 5. similiter Jobbagyones , calamitate tem-  
porum , aliò ire coacti , ac demum ad priores  
Dominos redire volentes ; sub pana Articulari  
dimitti cum Bonis suis debent : Vadimonia cujus-  
cunq; vel Juramento nihil obstante , nec ullum  
hac in parte , ligante . *ibidem*. in *Compil.* A. 8.

4. 6<sup>to</sup>. Si dicta Repetitio fiat à Communitate, seu Universitate Saxonica, vel Siculica, aut à Civitaribus, seu demum per Officiales, seu per Mandatum præceptorium, & Colonus per eos non restituatur; ex tunc ad Tabulam evocentur: ubi comperta Actoris justitia, in causam Attracti, in 200. florenis, præter restitutionem Coloni, convincantur. id quod præter Fogaras, ad omnia loca, & possessiones extenditur. in Approb. P. 4. T. 5. A. 1. 7<sup>mo</sup>. Jobbagyo, Nobilem personam, in uxorem ducens, inque Nobilitaribus ejus Bonis residens, ab uxore repetatur, modò præviò: si verò non in Bonis uxorius, nec in obsequio certi Domini; sed tamen in fundo libero habitet; tunc mediò Iudicium admoneatur ipse, ut redeat: quod si recusaverit, in proxima sede, judicetur peremptoriè, & convictus, restituatur Pratendenti: si autem sit alicui Domino obligatus, anno suo expletò, restituendus erit. *ibidem*. Et hæc procedunt etiam quoad liberos subditorum, cujuscunque demum ætatis sint. *ibidem* T. 6. A. 4. vide etiam P. 5. Edic. 22.

5. 8<sup>vo</sup>. Liberum est Dominis terrestribus, sive Equos, sive Boves Jobbagyonibus suis permettere pro suis usibus. *Approb. P. 5. Edic. 47.* 9<sup>no</sup>. Personæ Ignobiles, aliaque Inquilinæ, in fundis Nobilitaribus residentes, si ter-

sitorii beneficio, vel scilicet pro se agros colendo, vel extra sessionem Nobilitarem, jumenta sua pascendo, non fruantur; onus Civitatis, aut Pagi ferre non tenentur. *Ibidem*, unde patet, à contrario: ad quid teneantur. *10mō.*  
 Si qui ex ordine militari (*badi Rendbōl*) vel quæcunque personæ liberæ, Jobbagyoneum alius, potenter abducerent; tunc siquidem capi possunt, cipientur: sin minus, apud *Judicem competentem* accusati, tanquam publicarum Regni constitutionum Violatores, puniantur. *Approb. P. 5. Edic. 31.*

**Num. I. *JUDICium, seu Processus Juridici.*** *1mō.* Abolis veteribus Judiciorum Terminis *Octavalibus*, statutum est: ut *Terminus* Judiciorum *Octavalium*, pro Nobilitate Transylvanica, ab *Octava* post Festum S. *Luciae*, die, duret uno mense. pro *Partium* vero, à prima Decembris, itidem per tres hebdomadas: pro *Siculis*, ab octava Epiphaniæ, usque ad tres hebdomadas: *Dominicos* dies nullibi computando. *Approb. P. 4. T. 1. A. 2. 2dō.* ut *Causantes*, ac *Judices* ipsi securius procedere possint; nemo hominum, cujuscunque status, & dignitatis, eos in functione sua turbare presumat: secus *juxta contenta Decreti* puniendus

(Ulad.)

(Ulad. D. 5. A. 5. hujusmodi Turbatorum pæna est Majoris potentie) si vero vel Causantem, vel Judicem ejus, comminationibus aliquiterrent, in 200. florenis convincantur. *Appro. P. 4. T. 1. A. 4.*

2. 3<sup>ta</sup>. *Processus Juridici Mandatis illegitimi* ne interturbentur; sed juxta seriem *Sententiae late*, Officiales ubique liberè procedant: secùs *Provisores*, aliisque Bonorum, in quibus res exequenda esset, *Curatores*, Executionem impedientes, de propriis *Bonis* convincantur, & cum refusione damnorum, in pœna minoris potentie condementur. *ibidem A. 8. 4to.* Causæ brevi processu agitari solitæ, sunt: *Quinque Casuum*: *Actuum potentiariorum majorum*, & *minorum*: *Homicidii deliberati*: *Dotum*: *Paraphernal*: *Quartalit*. *Tutel*. Bonorum *Impignor*: *obligaminum*: *Depositorum*: *Diffamationum*: *Falsorum delatorum*: *Repetitionis litterarum*; nec non *Fobbagyonum*, *servorumque fugitivorum*: aliozumque specificè sparsim in *Articulis denotatorum*. Has igitur Causas brevis processus, potest quis vel in *Tabula judiciaria Regni*, vel in *Sedibus* prosequi. *ibidem. A. 11. & 12.*

3. 5<sup>ta</sup>. Ubi tamen agitur de Perpetuitate Bonorum, ac necessaria privilegiorum productione; immediatè in *Tabula*: si vero causa Notam concernat; in *Dieta Generali* erit prosequenda. *ibidem.*

*bidem.* 6<sup>to</sup>. *Evocationes ad Tabulam*, fiant ad octavum: si autem *Evocandus* esset ex partibus: ad decimum quintum. *ibidem.* A. 13. 7<sup>mo</sup>. Si quis alterum personaliter evocat in Casibus, quibus personalis comparitio non requiritur; in mortuo ( integro ) homagio convincatur. *ibidem.* A. 16. 8<sup>vo</sup>. Causæ porro quinque Casuum, & in his violentarum occupationum, ac homicidii deliberati, requirunt personalem comparitionem; non item aliæ: nisi specificè in Articulis, ac Legibus denotarentur. *ibidem A. 15.* intelligendum tamen semper videtur: nisi legitimum, juxta Decretum, habeat veniendi impedimentum: tunc enim comparere in persona non obligabitur: cùm nemo ad impossibile obligetur. vide dicta de Excusatione Rationabili. P. I. Synt.

4. 9<sup>no</sup>. Si quis per nonvenit, sententiatus est; poterit uti Inhibitione, vi cuius, Executio sententiae suspendatur: modò tempus executionis præveniat, aut intra quindenam, litteratum Relatoriarum extraditionem antevertat. *ibidem.* A. 17. 10<sup>mo</sup>. Qui verò has causas in Sedibus vult prosequi, Citationem, cum brevi causa declarione, medio Judicum, aut Vice-Judicum Nobilium, vel Regiorum, Sigillóque eorundem munitam, instituere debet: nulla ad hoc, è sede exmissione requisita. *ibidem A. 19. 11<sup>mo</sup>.* Beneficio novi Judicij ( quod seu sit Gratia, seu

simplex, utraque *Cancellaria* dare tenetur ) uti  
 quisque debet, ante extractionem litterarum  
*Transmissionalium*, ad *Forum* aliis sonantium  
*Processus* verò *novi Judicis*, est hujusmodi :  
 ut si quis sententiam per non venit, latam, pro-  
 hibuit ( etiam verbalis prohibitio valet ) tenea-  
 tur ad proximam sedem comparere, rationem  
 suæ pohibitionis redditurus, *Judiciumque pro*  
*merito* subiturus: quō si nō sit contētus, *Novōuti*  
 poterit. Cæterū *Novum* potest esse **cum**, vel  
 sine *Prohibitione*. Modò 1<sup>mo</sup>. probè sit paratus  
 ad prosequendam causam suam; nam in *eadem*  
*sede*, nullum illi amplius *juris remedium* relin-  
 quitur: nisi sola *Appellatio*. 2<sup>do</sup>. Novas adferat  
*allegationes*, & *exceptiones*: nam penes *Novum*,  
*recursus* ad easdem rationes, quæ jam priùs ven-  
 tilatae erant, non conceditur. *ibidem A. 20.*  
 & 21. de his vide infrà, verbō: *De Novo Ju-*  
*dicio*, *juxta continentiam Decreti*, *descripto*.  
 12<sup>mō</sup>. In omnibus hisce *Casibus* potest appella-  
 ri: sed in *quinque Casibus*, & homicidio *deli-*  
*berato*, Reus detineri debet; vel non nisi *ad*  
*Vadimonium*, dimitti: usque ad finalem *appella-*  
*tionis revisionem*. Reliquis *remedis Juridicis ex-*  
*clusis*. *ibidem A. 25. 13tiō*. Volens ad *Evičo-*  
*rem* recurrere, *rationibus meritoriis*, ad *Evičo-*  
*rum* pertinentibus, ne utatur: secūs enim  
 ille evincere non tenetur. *ibidem A. 26. 6*  
 autem

autem pars J. nihil agat, neque excipiat, sed simpliciter se ad *Evidetorem* revocet; tunc *Prorogatoriam* super eo *Sententiam* à sede habebit. *Ibidem.* 14<sup>to</sup>. In causis *Divisionis*, inter *Fratres*, & *Sorores carnales*, *Patrueles*, & *Matriueles*, *fiende*, *Inhibitio* non admittenda: nihil camen hic de *Siculis* disponendo. *Ibidem.* A. 36. 15<sup>to</sup>. Nullis in causis *Appellatio* admittatur, ante *Sententiam* definitivam; nisi *exceptio* occurret *peremptoria*: quales sunt: *Calumniae*, aut *Prescriptionis*. *Ibidem* A. 44. plura ad *Processum Juridicum* pertinentia, vide suis locis in hoc *Syntagmate*.

**Num. 1. Litteræ Variæ.** 1<sup>mo</sup>. Si quis missiles alterius (non suspecti, & pacis tempore) litteras interciperet, aut aperiret; in homagio scribentis, & damni inde emergentis, ac expensarum refusione convincatur. *Approb.* P. 3. T. 2. 3. a. un. 2<sup>do</sup>. si quis in litteris *Evocatoriis*, *Adjudicatoriis*, & *Relatoriis* error irrepererit, & manifestum sit, eum à Magistris, vel *Executoribus* commissum esse; corrigatur in facie *Tabulae*, si *Executores* presentes sint: si vero non; mediantibus litteris *Præceptoriis*. *Approb.* P. 4. T. 1. A. 34. 3<sup>ti</sup>o. Nulli ex *Cancellaria* detur *Missile Mandatum*, ad occupacionem bonorum aliquorum: & si datum fuerit;

*wiria*

viribus careat : insuper Impetrans, pænà, Mandata illegitima Extrahentium, mulctetur : sed istud fiat mediò Juris, ac legitimorum Regni Executorum. Approb. P. 4. T. 12. a. un. nec valent litteræ, ac Privilegia, pro Exemptione à communi onere : aut contra Decretum, & libertatem Nobilitarem, emanantia. Comp. P. 3. T. 8. a. 8. & P. 4. T. 12. a. 2.

2. 4tò. Litteræ Donationales non dentur, cum clausula : salvo jure Fisci: vel certè hæc clausula pro non adjecta habeatur Approb. P. 4. T. 13. a. 1. 5tò. si quis litteras, se, suaque Bona concernentes, apud aliquem, præter viam juris, delitescere prætenderet; eum vel in Tabula, vel in alio Foro competente, jure conveniat : ubi compertò eô, quod litteræ apud eum sint, quodque illum legitimè non concernant, neque tamen ad Repetitionem præmissam, restitu erit ; in refusione omnium Expensarum, à die Repetitionis factarum, condemnetur : insuper, si ad Terminum, à Judice præfixum, litteras non redderet, aut delatum forte sibi Juramentum, non deponeret, tunc juxta contenta Decreti P. 2. T. 34. non solùm Euctor Actoris, relate ad ejusmodi Bona, sed etiam Debitor ( siquidem extra eorum Dominium Actor sit ) esse, Judicialiter declaretur. App. P. 4. T. 11. a. 1. 3. Vel juxta Comp. P. 4. T. 11. A. 2. curet Pra-

*Præterdens priùs legitime admoneri ejusmodi litterarum Detentorem : deinde requirat Officiale ; qui si tergiversarentur, eādem penā teneantur.* ubi autem erit produc̄io litterarum facienda, prætersupremū *Judicē*, adiutor ad minūs quatuor *Assessores* ejusmodi *Tabula*, *Comitatūs*, auctoratis. 6to. *Taxa* litterarum, juxta antiquum usum, in *Approbb.* P. 4. in fin. notatum, servetur. *App. P. 4. T. II. A. 4.* 7mo. ne *Dotalistæ* legitimos, *Hæredes* detentione litterarū vexare possint; statutum est : ut ubi *Vir Nobilis* moritur, *Officiale* ejusdem *Comitatūs*, vel auctoratis, statim ob-signent omnia *documenta* litteralia *Defuncti* : ac post sepulturam, dent ei, quem litterarum conservatio (vide de *Conservatores Inst. litt.*) juxta *Decretum* concernit : Impositō priùs *Relicta* juramento ; quod nūl litterarum occultaverit. *Comp. p. 4. T. II. A. 1.* id quod etiam ad *filios*, e. g. *familiares*, & *Domesticos*, hac in re suspectos, extendendum videtur.

### Num. I. *Officiales*, ac *Judices*.

1mo. *Officiales* tum in *Comitatibus*, tum in *scribus*, *possessionati*, ac *Patriæ Filii* esse debent: item *Jurati* tum *Principi*, tum *Regno*, ad cū-endam ejus libertatem, ac *jura*. *Comp. p. 2. t. 15.* ac *Vice--Officiales* quidem *annuatim* valedicantur.

cant; supremi verò, sine consensu Comitatūs, ante evolutionem anni, sub pena 200. flor. valē dicere non possunt. *Approb. P. 3. T. 42. 43.*  
*A. 1. & A. 2.* & supremi Comites minimum 1000. flor. possessionem in tali Comitatu habent. *Comp. P. 2. T. 1. condit. 16. 2dō.* Officiales tam Comitatenses, quam Siculic平es, ac Saxonicales, ceterique omnes, in Officio negligentes, juxta continentiam Decreti, & Articulorum puniantur: si qui autem Executores constituti, muneri suo non satisfecerint, ad instantiam Querulantis, in pena Articulari; id est: in 200 florenis, imo etiam amissione officiorum. *Approb. T. 42. p. 3. A. 2. item T. 43. A. 1. & Comp. P. 3. T. 11. A. 3.*

2. 3tio. *Birsagia Judicialia* (vide de Birsagiis.)  
 Officiales juxta contenta Decreti, partiantur: neque ex pena homagiali (quæ solum electorem concernit) sibi quidquam vendicent. *Comp. P. 5. Edic. 2. de Taxis variarum litterarum, vide Approb. P. 4. in fin. & aliquid infrā verbō: De Taxis.*

## Pignus, vel Impignoratio.

1mō. Causæ pignoris, 100. florenos non exceedentis, in sede inferiori terminentur, absque ulla Appellatione: more solito, prius medio Judicis Nobilium, summa offeratur Pignoratario: quam

quam si is non levaverit, in proxima sede, iterum oblatâ summâ, Pignus deponatur. 2dò. 5. nec tunc levaret; exclusâ, velut in re certa omni condescensione, Incattus ad meritum responderet teneatur: vel si causantes ipsi velint, pro Testimoniis exmittantur. Approb. P. 4. T. 7. A. 2. vide de Admonitionibus. Impignorationibus.

### Num. I. Pæna Variæ. 1mò. Violatores

publicarum Regni constitutionum, in 200. florinis condemnantur; iisque, sive hæc pæna in Articulis, ac Edictis, specificè sit expressa, sive non. Compil. P. 5. Edict. 1. quæ pæna, ordinariè dici solet Articularis. Eadem pæna mandat eos, qui sine causa legitima ad Congregations Regni, vel non comparent, vel primò post lectum Catalogum, adveniunt; vel ante finem, sine facultate D. Præsidentis abeunt. cuius pæna executio incumbit D. Præsidenti; sub eadem pæna. Comp. P. 5. Edict. 18. Item eos, qui executioni legitimorum Mandatorum obstiterent, vel iis non obtemperarent; vel illegitima extraherent; vel alios indebitè evocarent. Approb. P. 4. T. 9. A. un. 2dò. Malefactoribus, ad mortem sententiatis, Officiales, propria autoritate, Gratiam vitæ dare, vel, etiam ante sententiam, eos dimittere non presumant; sub pe-

*na* 500. flor. per Directorem desumendorum, ac refusionis damnoru. *Approb. P. 3. T. 47. A. 1.*

*2. 3tō.* In furto Rei, *unum florenum ad*-  
quantis, *ter quispiam* deprehensus, suspenda-  
tur. Si vero rem ultra valorem *trium flor.* ali-  
quis furetur; absque ulla dilatione suspendio  
plectatur: nisi cum *Adversario concordaverit*  
*ante Sententiam.* Nam facta inter illos concordia;  
Reus in suo duntaxat homagio, pro prima vice,  
condemnandus: quod si praestare non posset,  
*auricula ipsi præcidatur.* Si secunda vice, in fur-  
to ejusmodi deprehensus fuerit, suspendatur:  
tametsi cum parte *Adversa concordaret.* *ibidē*

*A. 2. 4tō.* Villani (*Falubéliek*) ad mandatum  
Officialium, sub pena 200. flor. teneantur eos  
capere, qui vel suspecti de maleficio, vel jam  
accusati sunt: nec id DD. Terrestres, sub eadē  
pena, impedire præsumat. Si autem hominem  
*captum elabi casu* sinant; intra quindenam sub  
eadem pena comprehendere, & Officialibus  
assignare sint obligati. At si voluntarie; vel ab  
aliis *captum*, ac sibi in *Custodiam traditum*, di-  
mitterent; in pena 500. flor. convincantur. *ibidem.* *A. 5*

*3. 5tō.* Sub pena 200. flor. ac refusion: Damin-  
tentur Villani consurgere, audita Furis procla-  
matione, ac signo aris campani datō; eūmq; com-  
prehendere, & usq; ad *Judicij celebrationē*, ad in-

*stantiam Actoris servare.* ibidem a. 6. si quis pri-  
vatus, Malefactorem latitantem foveret, recipie-  
ret, victimum ei subministraret, nec tamen illum  
proderet; pena mortis puniatur. ibidem. A. 13.  
6to. pena adulterii, mors esto. Fornicatores au-  
tem non per Birfagia: sed virgis puniantur.  
Blasphemi pariter meritis penis, ac si res exi-  
gat, etiam morte plectantur. ibidem A. 21.  
& 22.

4, 7mo. Si tamen Blasphemus sit Nobilis; tunc  
is non in loco delicti, sed coram suo Judice com-  
petente, via juris accusetur: & Judge tenetur,  
sub amissione Officii, illum punire; quo ta-  
men casu, si causa esset ad mortem, persona  
Ignobilis testari contra Nobilem nequit. Comp.  
P. 3. T. 14. A. 2. 8vo. Si in aliquo Pago,  
vel Territorio, hominis occisi cadaver reper-  
tum fuerit; tunc omnes loci illius Incolae, a  
18. Etatis anno, exclusivè computando, ju-  
ramento mediante, se purgent: secus habendi  
pro Reis. ibidem A. 4. Cætera vide suis lo-  
cis: uti De Gratia. De Homicidio. &c.

**Num. 1. Procuratores, seu Call-  
fidici.** 1mo. Nullus in una, eadémque cau-  
sa plures Procuratores, quam ad summum, du-  
es pro se habere; vel cum iis, cum prejudicis  
parvis

partis Adversæ , colludere præsumat ; sub pena homagii . Procuratores vero , Judices sic ordinante , teneantur assistere Causantibus destitutis , erga solitam taxam , sub eadem pæna . *Approb.* P. 4. T. 19. A. 1. 2dō. Omnes Procuratores , ad peragendam ritè suam functionem , quemadmodum & Judices , coram Magistris Tabula , ac Presidente , juramentō se se obligent : secūs causas agere , sub ammissione honoris , prohibentur . *ibidem.* A. 2. Unde officio non satisfacientes , meritō perjuri esse arguuntur .

2. 3tō. In Salario non sint nimii ; sed juxta conscientiosam Judicium limitationem , contenti esse debent ; sub pena homagii . *ibidem.* 4tō. Si Procurator munere suo male fungeretur , vel cū Adversario Principalis sui colludendo , vel documenta ejusdem , ante tempus notificando ; tunc per Directorem Fiscalem convincatur , tanquam fidei (fide fragus , seu perjurus ) obligationisq; sus violator : si vero litteras Principalis sui perdat ; vel collusione sua , ipsi damnum aliquod creavit ; tunc suis modis Judicium pati debet . *ibidem.* A. 3. 5tō. Fiscales Directores , in qua causa aliquando erant Judices , in eadem Actores esse nunquam possunt , nec è contra . *Approb.* P. 4. T. 17. A. nn.

Num. 1. *Telonia, & Tricesimæ.*  
2mō. Tricesimatores , contra statuta , ac liber-

tatem Regni, delinquentes, evocentur ad *Comitatum*, aut *sedem*, in qua resident, juxta arbitrium *Damnificati*, si is *privatus homo* sit: ubi *comparta rei veritate*, in 200. flor. & refusione damni, **convincantur**. Et si quando læsus, litigare ob *simplicitatem* non posset, vel nō auderet; tunc ipsi *Officiales*, per eum requisiti, **Actores esse possunt**: *medietatem dictæ pena* pro se accepturi. *Approb. P. 2. T. 12. A. 3. 2dō.*  
*Intra limites Regni, & Partium, à nemine mortalium, ultrò, citroque commenantum, cujus-*  
*cunque sint ordinis, Tricesima exigatur, sub*  
*pena predicta. Nobiles* verò, omnes, & singu-  
*los bonorum suorum fructus ( *Allodialia* ) et-*  
*iam extra Regnum efferre, vendere, aut mit-*  
*tere per suos ( exempti enim sunt etiam Job-*  
*bagyones, ac Famuli, res Dominorum suorum*  
*secum habentes, aut in eorum obsequiis pro-*  
*ficiuentes ) vel etiam Ex Bonis suis, in Ungaria*  
*habitibus; uti pecora, frumentum, Vinum,*  
*&c. inferre pro suis necessitatibus ( non item*  
*pro quæstu ) liberè, & absque omni Tricesimæ*  
*aut Telenio possunt. ibidem A. 4. & P. 3. T. 39.*  
*A. 3.*

2. *Nobiles tamen, res suas, Tricesimis non*  
*obnoxias, extra Regnum mittentes, aut ven-*  
*dentes; dent Testimoniales super eo, quod pe-*  
*cora, aut res ejusmodi, sicut propriæ, nec ab*  
ullo

ullo quæstus gratiâ comparatæ. ibidem A. 5.  
 3tiò. Ab iisdem pecoribus , ubi nempe , cùm  
 vendi non potuerint , iterum repelluntur ; bis  
 Tricesima non est exigenda : nec ullis exactio-  
 nibus indebitis , ac insolitis vectigalibus Quæsto-  
 res vexandi ; sub pæna 200. flor. ibidem & A.  
 4. quam , Officiales Comitatenses , vigore A.  
 2. T. 3. P. 2. Comp. desument . 4tiò. si qui verò ,  
 penes supradictas Testimoniales litteras , frauda-  
 lenter egisse , in Territorio adhuc Tricesimalē  
 existentes , animadvertantur : tunc convocatis  
 ejus loci , aut Comitatū Officialibus , ac Ju-  
 risperitis Nobilibus , statim causa discutiatur ;  
 & compertâ fraudulentia : Reus in amissione pe-  
 torum ( idem videtur de aliis rebus intelligen-  
 dum ) ac expensarum expressarum , ipsi Tricesima-  
 tori fienda refusione , condamnetur : abscissis  
 omnibus juridicis remediis . si verò tardius dicta  
 fraudulentia animadverteretur , Fraudulentī ci-  
 tentur ante octavum , ad Forum competens , &  
 ibidem convicti , ad triplum pecorum con-  
 demnentur : Executores pariter solitam sibi mer-  
 edem 12. flor. exequantur. ibidem A. 5.

3. stò. Ubi aliquos *alii viis* , Tricesimam  
 subterfugientes , Tricesimator assetus fuerit ;  
 tunc captos , ejusdem Territorii Officialibus ( si-  
 ve sint Comitatenses , sive Dominales ) in manus  
 assignet : post quindenam pænâ articulari ple-

Etendos; ad quos capiendos, *Villani* requisiti,  
 proclamatione furis (*Tolvaj Kiáltassal*) certifi-  
 cati, insurgere tenentur, sub pena 200. flor.  
 ibidem. A. 6. & 7. 6tò. Dominus *Telonii*, pon-  
 tes, ac vias, à quibus *Telonium* accipit, reparat  
 diligenter: secùs per officiales Comitatum, aut  
 sedium (quibus id investigare incumbit) in 12.  
*florenis*, ac refusione damni, si quod ex inde  
 viatoribus accidit, mulctetur. si vero *Telo-  
 nium* pertineat ad Civitatem aliquam; requi-  
 rendus per dictos Officiales erit *Director Fi-  
 scalis*; qui mediantibus *Praeceptoribus*, 200. in  
 illa *florenos* exequatur. *Approb.* P. 3. T. 39. A.  
 1. Imò talibus possessoribus *Telonium* tollitur;  
 ut habetur *Comp.* P. 3. T. 3. A. 3. nec ullus  
*Telonium* erigere potest, nisi ex privilegio  
*Principis*. de quibus vide plura infrà, de *Pri-  
 vilegiis*. ac *De Teloniis*. Addo hic *Ulad.* D.  
 4. A. 85. ubi præcipitur Teloniatibus, ne  
*Ecclesiasticos*, & *Nobiles* ad loca *Tributorum*  
 ire compellant, sub pena vivi homagii, talis  
 compulsi: sed libere possint ire per portus &  
 vias, quas voluerint. idem est, de euntibus ad  
 molas; qui sub sadēm pena *Tributis* onerandi  
 non sunt,

**PARA-**

# PARAGRAPHUS III.

## De statutis Siculorum Tri-partitalibus.

Num. 1. **S**unt præterea (*inquit Verböczins*) Transylvanis in partibus Scythicis Nobiles privilegiati, à Scythico populo propagati; Quos corrupto vocabulo, *Siculos* appellamus: dissimili consuetudine gaudentes: Rerum bellicarū expertissimi: qui per Tribus, & Generationes, atque lineas Generatum (*Antiquorum more*) Hæreditates, ac Officia inter se se partiuntur. De his Leopold. Imp. in Diplomate suo An. 1691. quā res Transylvanicas ordinabat; Art. 140. sic loquitur: *Siculi*, genus hominum bellicosissimum, ab omni tributo, ab omni hybernorum, aut aestivorum molestia, à Decimis, & Prestationibus, sint penitus exempti: è contra pro defendenda Transylvania, propriis stipendiis militare obstricti.

2. Horum consuetudines, quas legis instar obseruant, recensentur P. 3. T. 4. & sunt sequentes, 1. mō. Homagia ipsorum, 25. florenis compensantur. 2. Emenda lingue, ad 12. florinos, & 50. denarios taxatur. 3tiō. Emendæ capit̄ sententia, 24. marcas, totidem florenos fa-

cientes, continet. 4. convictus in capitali sententia (*municipali*) hereditatem non amittit : sed ad heredes, successorésque ejus derivatur : caput etiam, demptis casibus *Notæ infidelitatis, & Causis criminalibus*, salvum permanebit.

5. In sede ipsorum Judiciaria, quælibet marca, 50. duntaxat denariis compensatur. 6. Comes, & Vice-Comes eorum ( seu, ut nunc vocant; supremus, & *Vice-Judex Regius* ) in quavis causa, statim post latam sententiam, portionem suam Judiciariam ( licet convictus cum Adversario concordaret ) exigendi habet auctoritatem. 7. Causæ in facto hereditatum, in medio ipsorum motæ, si fuerint ultra valorem trium florenorum, in Curiam Regiam Regni Transylvaniæ appellari possunt, ac solent; servatis tamen *Appellationibus* solitis. Haec tenus Decretum Tripartitum. præter hæc, adjungimus ex *Approbatis, & Compilatis Transylvaniæ Constitutionibus* sequentia.

## PARAGRAPHUS IV. De Novellis Siculorum Legibus.

Num. I. imo.

**C**apitaneorum apud *Siculos* Creatio, est penes Principem: Judices vero Regios,

Regios, & eligunt, & mutant ipsi: salva tamen etiam in hoc, auctoritate Principali. Approb. P. 3. T. 76. A. 1. 2dō. Equites Siculi ( Lófö Székelyek ) pari cum Nobilibus jure, hæreditates suas ( præter earum ab alienationem, ac venditionem ) liberè possideant. ibidem. A. 3. At licet deficientibus hæredibus bonorum ejusmodi, in quibus aliquando *jus Regium* latuit, hoc ipsum *jus*, pacifica dein *Novi Acquisitoris*, per 32. annos possessione, aboleatur; tamen si legitimi ipsi possessores, aut *Successores*, in aliqua bona *jus Regium* invehant, eidem semper subesse dignoscuntur. ibidem. A. 7. 3tō. Universi Sieuli, juxta Constitutiones Regni, parati semper esse debent ( accepto legitimō mandatō ) ad insurgendum; sub amissione capitis; non item bonorum. Excipiuntur tamen illi, qui in alieno servitio versantur, nec possessiones, vi quarum militare teneantur, habent. ibidem. A. 8. & 20.

2. 4tō. Liberæ, Equitum, ac Peditum ( Darabont ) hæreditates, deficiente sexu masculino, ni successionis famineæ, in alios non devolvuntur: sed exolutis Fæminis, juxta verum Bonorum valorem, eadem à consanguineo propinquiore possideantur. ibidem Edic. Rákóczi, punct. 4. 5tō. Siculi ad Tabulam Regni judiciariam, vel ad Diaram, extra casus lege definitos, pro pri instantia, ne evocentur, sub pena 200. flor.

sunt autem casus lege definiti, potissimum sequentes: 1. Repetitio Colonorum. 2. Dum statutioni contradicitur. 3. Non observantia mandatorum legitimorum. 4. Nota infidelitatis. *ibidem A. 13.*

3. 6<sup>o</sup>. Nec bona eorum, sub lite existentia, sequestrari, nec ullus eorum etiam subditus, ad decimas, Fisco dandas, in terris suis cogi potest. *ibidem A. 14. & 15. 7<sup>o</sup>.* A Jobbagyōnibus Siculis, nemo, sine consensu Domini terrestris, hæreditatem emere possit; sub pena 500. flor., uti neque ab Ordine militari ( exceptis Nobilibus ) vel iisdem vendere; sub eadem pena. Nisi sub his conditionibus: 1. Præmissa legิตima admonitione, erga consanguineos, ac vicinos, 2. Non supra condignum valorem: secūs enim, quod supra hunc esset, illud amitteretur: valor tamen ædificiorum, ab Emptore positorum, refundi debet. 3. Non perennaliter: excipiendo Nobiles: sed solum per Impignorationem, sub pena prædicta. *ibidem A. 16.*

4. 8<sup>o</sup>. Sublato communis estimationis usu, capitalis summe habenda ratio. 9<sup>o</sup>. Siculi in suis Foris, causas omnes dijudicent, omnibus juris remedīs adhibitis: nec Transmissio, seu appellatio ad Tabulam fiat, nisi pro finali decisione referenda. Brevis causarum processu etiam ad Siculos extenso, apud quos verbalis prohibicie, etiam in his processibus admittitur: ita tamē,

men, ut vim habeat *Repulsionis*, & non nisi semel, in eadem causa fieri possit. *Approb. P.*  
**4.** *T. 14 A. 2. & 3. 10mō.* Causæ ad Tabulas transmitti solitæ, prius ad sedem generalē (Derék szék) provocentur; & inde ad Tabulam, sub pena 200. florinorum tatus, quoties.  
**11mō.** Officiales, nullas prohibiciones, aut Bir-sagia, citra communem universitatis consensum, statuant, vel exigant. sub pena 200. flor. *Ap. prob. P. 5. Edic. 52. 12mō.* Siqui Peregrini, Vagi, ac nulli Dominoterrestri obnoxii, nec militiæ adscripti, se ipsos jure Jobbagyonatūs, cipiām obligarent; tales nec in Comitatu, nec in Terris Siculicis, à Fisco, cuiquam conferri possint. *ibidem. Edic. 66.*

**5.** *13tiō.* Qui in fundo, ab hominum memoria, pro Parochiali habito, resident; in medium Pagi solvere non tenentur. *ibidem Edic. 68.*  
**14tiō.** Circa Malefactorum punitionem, servetur modus, ac Processus, in *Approb. P. 3. T. 47. A. 3.* suprà relatus. Hujusmodi verò Lazarones, ac Malefactores, nemo protegat; velta-li casu, in Jobbagyoneum suum, eorum aliquem recipiat; sub pena 200. flor. *Compil. P. 3. T. 8. A. 5.* *15tiō.* Si qui Extraneorum cum Háromszékienibus litigarent; extunc Három-Székienes legitimis ejusmodi Extraneorum Relatoriis locum dare in judicio teneantur; sub pena Arti-

sulari. ibidem A. 13. 16to. tametsi per Approb. Constit. omnis super condescensione, exceptio sublata fuisset; tamen Dominis etiam Siculis impostorum licicum sit, duabus uti exceptionibus: modo à frivolis abstineant. Comp. P. 4. T. 2. A. unico.

Sed hæc, ultra fortè, quam compendii ratio exigat, in gratiam singulariter juventutis Dacicæ, legum suarum perquam studiosæ, & Approb. ac Comp. Constitutionibus saepè destituta, adduxisse sufficiat: quibus (nisi quis omnino ignavus sit) facilè ad scrutanda penitus jura incitatitur.

## TITULUS XIX.

### De Libertatibus Nobilium.

Num. I.

**Q**uod Nemo Nobilis, nisi personam Principem, legitimè coronatum, creari possit; juris est explorati apud Ingaros. P. 1. T. 3. Unde patet: neque per Palatinum; tametsi is sessiones Coronicales cuiquam ignobili conferret: neque per Primate Regni Hungariæ, dum is ex antiquo privilegio suo, certa Prædia, pro sexu duntaxat masculino, in Feudum confert; verorum Regni Nobilium Collegio, quemquam Donatariorum (sic vocantur, quibus aliquid donatur) aggregari. Quamvis enim Nobilos Prædiantes uti dicuntur.

dicuntur *Archi-Episcopales*) in exemptione à solutione *Tricesimarum*, *Teloniorū*, ac *Dice*; quin & in *Homagiis suis*, ac *juramentis*, aliis Regni Nobilibus, seu à Principe creatis, æquiparentur; A. 14. 1567. Tamen ab *Armalistis*, cæterisque Nobilibus contradistinguuntur, sensu A. 26. 1647. item A. 14. cit. & alibi passim. *Articulus* 14 cit. sic habet: statutum est, ut *Praediales* quarumcunque Ecclesiarum, qui in *Ungaria*, & *Sclavonia*, iisdem semper ferè prærogatis usi sunt, quibus alii possessionati *Nobiles*; non Discentur; potissimum quando cum DD. *Prelatis*, & *Baronibus* (Unde vides, etiam alios habuisse *Praediales* hujusmodi *Nobiles*, qui hos ipsos Dominos, sicut alii Regem, in Bello sequi debabant) in quorum bonis resident, personaliter, sineque sumptibus exercitare veneantur. Et hujusmodi *Nobiles*, uti & *Armalista*, etiam in liberis Civitatibus habitantes, & Portas non habentes, *Dicari*, seu *Taxari* per Vice-Comites jubentur. A. 26. cit.

2. Veri Hungariæ *Nobiles* creantur à Rege, duobus potissimum modis. 1<sup>mo</sup>. Per viam *Donationis*: cui enim Rex, ob fidelia servitia, donat *Castrum*, *Villam*, vel quocunque ius possessionarium; hoc ipso Nobilitat. P. 1. T. 4. modo *Donatarius*, in Bonis donatis, se legaliter statui, intra anni revolutionem faciat. ibidem, & T.

¶ T. 32. Quare nihil obstabit licet in litteris  
*Donationalibus*, expressa mentio non fiat, de  
*Nobilitando Donatario*. Atque talium Nobilitum  
 Filii, meritò Hæredes, & Liberi nuncupantur.  
 Sufficit autem donasse (non item tantum inscri-  
 pisse, vel oppignorasse, nisi aliud in Contractu ex-  
 primatur) Subditos aliquot, licet paucos; vel  
*Prædium*, aut *Villam*, cum suis appertinentiis:  
 quia hæc verè sunt jus possessionarium. 2dō  
 modō Nobilitatur quis, etiam absque *Bonorum*  
 donatione, P. i. T. 6. cum scilicet Rex, citra  
 omnem possessionis collationem, aliquem veris  
 Nobilibus adscribit. Et hæc *Nobilitatio* dicitur  
 fieri per *Armales* (unde hi vocantur *Armalista*)  
 quia in litteris super tali Nobilitatione confe-  
 ëtis (pro quibus dantur 25. florensi, sine Scriba)  
 exprimi plerumque solent arma gentilitia, sive  
 Insignia. Ad hos modos Nobilitandi revocan-  
 tur cæteri: ut est 1. per *Prefectionem* filiae in  
 filium: cum nempe Rex filias Parentum filiis  
 destitutorum, in Hæredes masculos præficit: ut  
 sic Nepotes eorum, licet à Patre ignobili proge-  
 niti essent, veri Nobiles, & Bonorum Avitico-  
 rum successores efficiantur. Vide *Titul. de Bonis*  
*jus fæm.* 2. per *Adoptionem*: de qua egimus suo  
 loco. 3. per *Generationem*: quatenus proles ex  
 Nobili Patre progenitæ, veris Nobilibus anumeran-  
 taur. P. i. T. 7. Unde hæc Nobilitas dicitur

*Generationalis.* 4. demum per Receptionem: ut cùm Exteri in *Indigenas*, & veros Ungariæ Nobiles, erga solitam *Taxam*, aut meritorum rationem, per Regem, ac Regnum recipiuntur. Et hæc Nobilitatio passim vocatur *Indigenalis*, & *Receptiva*: à qua Poloni per A. 18. 1575. & Veneti per A. 32. 1484. excluduntur: quibus idcirco nemo potest Bona immobilia vendere, inscribere, aut donare; uti nec Polonis. *ibidem*, & A. 94. 1647.

3. Cives, aliæque Personæ liberæ, in Civitatibus liberis degentes, Nobilitari per *Armales* non possunt; nisi à Civitatibus ipsis, & à duabus ad minus *Confiliariis Regiis* commendentur. A. 15. 1649. *Indigena* verò libera persona, ad commendationem trium ad minus *Consiliariorum*; aut alicujus Comitatūs. A. 30. 1630. Ad Nobilitandum denique *Colonum*, requiritur 1. consensus Domini terrestris. 2. ejusdem, & Comitatūs, in quo residet colonus, Recommendatio. 3. Publicatio *Armalium*, in eodem Comitatu. A. cit. Nec non A. 17. 1622. *Militares* verò, ac Literatae Persona specialiter considerari jubentur, *ibidem*: pro quibus duorum Consiliariorum commendatio censetur sufficiens. *Extranei* demum, priusquam in Ungaros, & Indigenas recipientur; Nobilitari per *Armales* non possunt. A. 30. 1630. Nisi jam Civitati

Civitati alicui liberæ adscripti essent; sensu A.  
15. 1649.

4. Nobilitas porrò in *Foro contradictorio probari*, & ostendi potest. Imò. per *Literas do- nationales Jurium possessionariorum*, à Princi- pe emanatas. P. 1. T. 6. 2dō. per *Litteras sta- tutorias*, cum *Declaratione possessionariæ col- lationis*. *ibidem*. 3tiò. per *Litteras expeditorias*, sive *confectas de solutione Quartalitiorum*; mo- dò tempus *prescriptionis Jurium Regalium i. e.* Anno 100. transcendisse dignoscantur. *ibidem* 4tò. per *ostenionem Genealogiæ*, sive *descen- dentiæ*, à Patre, aut Majoribus Nobilibus. 5tò. denique per *literas*, aut *humana testimonia*: ut cùm aliquis, aliquò, ex suprà recensitis, Nobili- tandi modò, se verum Nobilem esse ostenderit.

5. Quamvis autem multæ, magnæque sint Nobilium Regni Hungariæ libertates, ac privi- legia; ea tamen potissimum sunt sequentia. Imò. quòd Nobiles Ungari, ad cujusvis instantiæ preces, clamores, aut accusations, in persona sua capi, aut qualitercunque detineri per ne- minem possint, neque in Bonis suis, ullò mo- dò *damnificari*; nisi priùs citati, vel evocati, & ordine *Judiciario condemnati fuerint*. P. 1. T. 9. unde in omnibus causis, etiam criminalibus; aut *Notæ infidelitatis*, necessaria est ad eos capiendos citatio, imò etiam *convictio*, & sen- tentia.

sententia : ac preinde ex ipso etiam Judicij loco, ante sententiam, liberè abire, ac fugâ sibi consulere possunt. And. II. Reg. A. 2. & A. 5.

1723. vide Exceptiones verbo : *De casibus, in quibus Nobiles captivari &c. item de Nota infidelitatis.* 2dò. Fundamentale nobilitatis privilegium est : quod nullius, nisi Principis legitimè coronati, subsint potestati : qui tamen etiam eosdem, præter viam juris, i. e. non cito, & non convictos, in persona, aut rebus suis punire non potest ; excepto Crimine læse Majestatis. P. I. T. 9. & A. 5. 1723. 3tò. quod ab omni Datiarum, collectarum, Tributorum, vestigalium, Tricesimarumq; solutione, per omnia sint imunes : Militare duntaxat pro Regni defensione obligati. ibidem. Intra Regnum quidem, quisque Nobilis sine stipendio Regis : extra Regnum vero, non nisi pro stipendio. And. II. Reg. A. 7. Confer hæc cum dictis de Teloniis, ac Tricesimis. 4tò. quod si quis Regum, libertates Regnicolarum violasset ; ei sine Nota resistere, & contradicere potuerint. sed hoc per A. 4. 1687. abolitum est : salvis tamen reliquis, in Decreto And. II. contentis.

6. His privilegiis, veluti fundamentis coeterorum, adde sequentia. 1mò. Decimas de rebus suis non solvunt. And. A. 3. & A. 50. 1492. vide de Decimis. 2dò. Nonam partem omnium frugum,

frugum, & vinorum, à subditis suis accipiunt  
*A. 6. 1351.* & Prælati quidem à suis subditis  
 priùs *Decimam*, deinde *Nonam* exigunt: alii  
 verò Domini terrestres priùs à suis *Nonam*  
 deinde Prælati *Decimam* colligunt: *ibidem*,  
*A. 39. 1498.* *3tiò.* Domus, & Curiæ *Nobilium*  
 nec non *Parochorum Catholicorum*, & quorumvis  
*Ecclesiasticorum*, ac *Religiosorum*, immunes sunt  
 à *Quarteriis*, & condescensione militum, scilicet  
*A. 15. & 22. And. II. Reg.* & *A. 39. 1567-*  
*4tiò.* Vina quoque liberè quisque in Bonis pro-  
 priis educillare potest. *A. 38. 1567.* præsertim  
 in Curiis privilegiatis. *A. 35. 1598.* quæ ne  
 seriem servare tenentur. Nec in horum præju-  
 dicium, Miles in Præsidiis educillet. *A. 22. 1681-*  
 pæna verò illegitimè educillantium, est amissio  
 vini. *arg. A. 51. 1559.* confer hæc cum *Titul.*  
 de *Zobbagyon*. Cæterum enim *Nobiles*, in medio  
*alieni Teritorii* degentes, non habent plus ju-  
 ris educillandi, quam alii coloni. *A. 51. eis-*  
 De cæteris *Nobilium Regni Hungariæ liberta-*  
 tibus, vide suis locis.

## TITULUS XX.

### De Litteris, earumque Va- rietate.

Num. 1. **V**aria sunt Litterarum genera; de quibus strictim habe sequentia.

I<sup>m</sup>o. Litteræ statutoria sunt, vi quatum *Donatarius*, in Bonis à Rege sibi collatis statui, aut in illa introduci solet: formanturque cupliciter: primò quidem cum clausula: cùm nos &c. & hæ declarant totam donationis seriem, ac motiva: durantque pro executione per totum annum, ac in judicio probant sufficienter; etiam si *Donationales* seorsim non producantur. Unde vocantur statutoria cum declaratione *Donationis*. P. I. T. 33. & 34. idem est de Litteris Regiis *Consensualibus*; per quas Rex consensum præbet, aliquam *Fassionem* celebrandi, ubi si series *Fassionis* Litteris illis inseratur, ubique probant; secùs non. ibidem T. 35. Secundò. Formantur Litteræ cum clausulas dicitur nobis &c. & hæ durant pro executione, tantùm per *Sexaginta dies*: nec continent in se *Donationis seriem*, ideoque nec probant in judicio; nisi simul producantur *Donationales*. Omnes denique etiam aliæ Litteræ: uti *Recapitulatoriae*, *Reambulatoriae*, *Admonitoriae*, *Evocatoriae*, *Præceptoriae* &c. per Dicitur Nobis &c. ius choatae, & cum clausula: Ad terminum competentem &c. expeditæ, post *Sexaginta dies*, nisi interim nūs, ad quos sonant, præsententur, expirant. ibidem T. 33. De Litteris *Charto Bicanis*, vide verbō: *Debita*. I 2. Lit-

2. Litteræ Procuratoriaæ generaliter emanantur durant per annum: ad hanc verò, vel illam causam expeditæ, aut usque ad Revocationem, emanatae Plenipotentiales, durant juxta ipsius Patentis limitationem. Eorum denique, quia causâ Studiorum, Servitii, Militiae, Peregrinationis, aut Legationis absunt, vigorosæ sunt usque ad eorum redditum, possuntque dein in omnibus locis Authenticis revocari: non tam en sine Partium interessatarum notitia. A. 14. 1504.  
A. 35. 1723. Litteras Pignoratitias, vide <sup>de</sup> Admonitione. In Litteris Contractualibus, & obligatoriis, prout quis se obligat; ita stare tenetur. Math. Reg. D. 6. A. 17. Ulad. D. 1.  
A. 38. quibus & Judices, & Actores sese accommodare debent. A. 31. 1723. vide A. 13. 16. 87.

3. De Occultantibus alienas Litteras, obseruo sequentia. 1<sup>mo</sup>. Si Actor unicam duntaxat, vel duas ad summum litteras Inquisitorias super ea re produxerit, quinquagesimo; si vero nullas prorsus exhibuerit, sed simpliciter, vel Juridica Admonitione, quempiam Litteralia instrumenta habere asseruerit; vigesimo quinto se Nobilibus, juramentum Reo deponendum adjudicatur. In cujus depositione si defecerit; tunc debet esse Evictor omnium ejusmodi Bonorum. P. 2. T. 34. sed hic numerus Conjuratorum non amplius observatur. 2<sup>do</sup>. In Litteris tamen

tamen *Evocatoriis*, ad *Litterarum Detentorem*  
*directis*, instrumenta litteralia, quæ, & qualia  
 sint? expressè denotari debent: nisi universas  
*Litteras*, Bonum aliquod tangentes, apud eum  
 existere proposuerit: nam isto calu sufficit, si  
 nomen talis Boni, situmque describat, ac dicat:  
*Me, & Bonum hoc, vel illud, hoc, vel illò locò ad-*  
*jacens, tangentia litteralia instrumenta repeto;*  
*quia sub genere quævis species continetur. ibidem,*  
~~3tiō.~~ si verò homines fæminei sexūs, à Fratri-  
 bus carnalibus, vel aliter indivisis, *Litteras re-*  
*Peterent*; tunc solus frater major natu, utpote  
*Litterarum conservator, jurare, & quidem quin-*  
*quagesima manu deberet. ibidem.*

4. Sed hæc (præsertim quoad numerum Con-  
 juratorum) jure antiquo *Tripartiti*: per leges  
*Novellas* verò statuuntur sequentia. *imò*. Ut vio-  
 lenti occupatores Bonorum, cum Bonis tene-  
 antur etiam *Litteras* restituere; *imò* sub amis-  
 sione (siquidem litteras Actoreæ Partis ad se re-  
 cepissent) Bonorum littigiosorum, idem præsta-  
 re jubentur quicunque. A. 14. 1622. *2dō*. si  
 verò tales Occupatores, vel Detentores, litte-  
 ras se habere negarent, & restituere nollent;  
 tunc ad proximam sedriam, vel *Congregationem*  
*Comitatūs* citandi sunt, ibique sola sua in per-  
 sona jurare debent: quòdsi nolint; ad *Tabulam*  
*Regiam evocati*, illic in unico termino ad perpe-

iuum Eviictoratum condemnantur. *ibidem*. vide  
 de Evictione. 3tò. si illegitimi qualiumcunque  
 litterarum possessores, pro iis Bonis, quæ tales  
 litteræ concernunt, litem moveant; silentium  
 ipsis imponitur, & ad restituendas litteras com-  
 pelluntur. A. 75. 1622. 4tò. statuitur; ut à  
 violentis hujusmodi Detentoribus, litteræ reper-  
 tantur *sub pena* 500. flor. medio Judicum Co-  
 mitatūs: quæ si prævio eatenūs juramentō  
 restitutæ fuerint, bene quidem: sin minūs; ad  
 Sedriam Comitatūs citentur. Ubi si absque per-  
 cuniaria solutione restituere noluerint, vel se  
 juramentō purgare, aut aliter excusare nequi-  
 verint; pñnam flor. 500. in duabus Actori,<sup>in</sup>  
 tertia verò partibus; Judicibus cedendorum,  
 Indilatè toties quoties incurvant. *salvâ pñnâ per-*  
 petui Eviictoratus, pro iis, qui eādem uti vo-  
 luerint, permanente. A. 43. 1659. dicta ta-  
 men pñna 500. flor. non incurritur sèpiùs, nisi  
 post singulas admonitiones, novi in Comitatu  
 Processus instituantur. A. 35. 1662. 5tò. præ-  
 dicti tamen Articuli sonant de talibus dunta-  
 xat Detentoribus, qui pro Extraneis reputan-  
 tur; proinde qui à successione Bonorum sunt  
 alieni: si enim Fratres Fratribus, aut sororibus  
 condivisionalibus, litteras Bona communia tan-  
 gentes, denegarent; Proditores fraterni sanguini-  
 sis censerentur, sensu P. I. T. 38, 6tò. litteras  
 acqui-

acquirere cupiens, Activitatem docere debet : ad quod sufficit, in defectu alterius probæ, Bona talia aliquando à Prædecessoribus suis possessa fuisse. In casu autem, quo Extranei Bona aliqua, unà cum prætensis litteris possiderent; nisi Actor violentam, aut aliam, illegalem ex talibus Bonis, sui, vel Antecessorum ejectiōnem edocuerit ; tales Possessores ad productiōnem litterarum non tenebuntur. Com. Syst. nisi forte tales litteras (*sensu A. 75. 1622.*) Bona illa concernentes, datâ pecuniâ, vel aliis variis viis, & artibus aquisiūssent, hisque litteris mediantibus, Partem illis destitutam, vexarent, Bonisque privare niterentur. Eadem Com. Syst.

5. Quod Transumptionem litterarum attinet; illa est alicujus privilegii ( vel alterius instrumenti litteralis ) non sensualis, sed verbalis, in aliud privilegium translatio : idque in aliquo loco Credibili, vel coram persona authentica.

P. 2. T. 15. Unde patet ; litteras ejusmodi de verbo ad verbum ; & non de *sensu* duntaxat *ad sensum* transumendas, seu pariandas esse. Quæ autem Transumptiones valeant; vide de Conservatore litter. instru. N. 2. & 3. Differt Transumptio à Vidimatione ; quià hæc non fit in loco authentico, aut coram publicâ persona authentica : sed per authoritatem duntaxat alicujus Notarii, vel etiam Proto-Notarii, sine

authentico sigillo, privata nominis subscriptio-  
ne, ad fidem, solum extra Judicium, facien-  
dam; non item in Judicio.

6. *Instrumenta in locis credilibus celebrata,*  
atque etiam *Relatorias super qualibet execu-  
tione, Partibus contrahentibus, Inhibentibus, vel  
Inhibitibus &c. eorundemque successoribus, cali-  
terque Interessatis; intra anni spatium, sine  
ullo Mandato Requisitorio, aut Praeceptorio, Ca-  
pitulares & Conventuales sub pena refusionis  
damnorum, extradare tenentur.* A. 42. 1723.  
quem vide. Quare *Mandatum Requisitorium*  
non est necessarium, nisi litterae extrahendae  
jam anno integrō fuissent in loco Credibili, seu  
*Capitulo, aut Conventu.* Cūm autem nemo sibi  
met testimonium dare possit: hinc *Capitula*  
quoque, & *Conventus pro se, & in propriis ne-  
gotiis, coram semetipsis Fassiones celebrare nul-  
las possunt.* A. 41. 1723. Quoad *Litteras*, vi-  
de plura de *Conservatore Litt. de Cognitione falsi-  
Litt. item de Fassion. & alibi suis locis.*

*Marcæ -- vide de Homagio.*

## TITULUS XXI.

*De Matrimoniis Licitis,  
& Illicitis.*

Num. I. **N**on solum juxta sacros Canones, sed & Legibus Hungariæ, consanguinitas, & Affinitas usq; ad quartum gradum inclusivè, Matrimonium facit nullum: nisi à potestate legitima dispenseatur: Imò omnia, & singula, ad substantiam Matrimonii pertinentia, conformiter ad Jus Canonicum definienda esse, statuitur pluribus locis: Episcopi enim ( ait S. Steph. lib. 2. c. 2. ) habent potestatem, res Ecclesiasticas, ac spirituales providere, & gubernare, atque, dispensare, secundùm Canonum authoritatem. Idem habetur A. 22. 1553. & passim. Matrimonium autem ad Forum spirituale pertinere, & eatenus causis Ecclesiasticis adnumerari, manifestum est ex iis, quæ diximus Verbo: de Dote. Item de Foro competente. utque in facie Ecclesiae contrahatur, & presente Sacerdote, præcipitur Colom. Reg. lib. 2. c. 15. secùs non conjugium, sed opus fornicationis.

2. Si Matrimonium sit invalidum, ob ignoratam consanguinitatem, vel Affinitatem; Mulier Dotem, & Paraphernalia, factò divortiò, rehabebit: Proles pariter, ex tali Matrimonio suscepitæ, in utriusq; Parentis Bonis succedunt: ac proinde sunt legitimæ P. I. T. 106. si verò scienter, & contra prohibitionem Consanguineorum, talibus conjugibus succedere debentium;

Matrimonium hujusmodi initum fuerit; tunc nec proles in juribus Parentum succedere, nec Mater Dotem rehahere potest: sed Bona ad *successores legitimos*, aut *Fiscum* devolvuntur. *ibidem.* qua in re neque *fumus Pontifex*, neque *Princeps noster*, in *præjudicium*, & contra *volumtatem legitimorum successorum* ( nisi legitimus successor sit *Fiscus*; tunc enim Princeps potest facere quod lubet ) suffragari sua legitimatio*n*e talibus prolibus potest. *ibidem.* in fin. Contrarium sentiendum, ubi tale Matrimonium legitima Ecclesiæ dispensatio præcessit. Præsumitur autem Matrimonium, ob *Consanguinitatem*, aut *Affinitatem*, invalidum, *scienter contractum*; si, vel consanguinei reclamant, vel aliunde pateat, impedimentum non potuisse esse ignotum contrahentibus.

3. Incestum in *primo*, & *secundo* gradu ( *seu in*, seu extra Matrimonium fiat ) committentes, & etiam Novercarum, ac Privignarum violatores, & stupratores, pænâ mortis puniuntur. In *tertio* autem, aut *quarto* gradu, *scienter* Incestuosí, priores quidem *trium*; posteriores duorum annorum carceribus addicuntur. A. 11. & 12. 1723. quod si Incestuosum, ac invalidum hujusmodi Matrimonium dispensatio non præcedat, sed eidem *scienter contracto* superveniat; tunc nec Liberos legitimat in ordine

dine ad Bona; nec contrahentes à pænis legibus eximit: nisi *consensus Regius*, super dispensatione, impetratus fuerit. Ex his paret *validitatem*, aut *invaliditatem Matrimoniorum*, ex *Sacris Canonibus* dijudicandam esse: vide *de Dote. N. 3. item de Panis.*

## TITULUS XXII.

### *De Metis, ac Metalibus.*

Num. I. **S**ciendum est, quod roboratō Regni Hungariæ solio; gloriolissimi ejusdem Reges *D. Stephanus*, & *D. Ladislau*s, aliquique horum legitimi successores, plurimas Terras (*Possessiones*) à Castris Regalibus sequestrantes, tum *Monasteriis*, & *Ecclesiis*; tum servientibus (*Nobilibus*) in perpetuam hæreditatem contulerunt, easdem certis *Metis* distinguentes. Uade & *Metales* controversiae, *Reambulationes*, ac *Rectificatio-*  
*nes* ortæ. Multiplicatis enim subinde *Nobilibus* *Donatariis*, eadem *Possessio*; in plures, nullisque aliquando *Metis*, sed solo usū distinctas *Possessiones* divisa, ad diversorum manus devenit: sūmque *Metales* primæva litteræ, apud aliquē ex *Possessoribus* remāsissent; earū deinde vigore successores ejusdem, totam illam Terram, primævis litteris inclusam (*divisionibus*, etiam legitimis,

non curatis ) ad se attrahere conati sunt. ita  
Verböczius P. I. T. 84.

2. Pro Metalium igitur controversiarum Rectificatione, sic statuitur. Imò In Metis rectificandis, præscriptio non est admittenda: quare allegatione Præscriptionis non obstante, particulae, & quantitates Terrarum, sylvarum, Pratorum &c. à principali membro qualitercunque avulsæ, ac distractæ, vigore litterarum Metalium, per Actorem juramentò mediante ( quamquam si ex litteris constet, juramentum non videatur necessarium) quandocunque rehabeti possunt. P. I. T. 85. 2dò. Nihilominus tamen virtute Metalium duntaxat litterarum ( Altero in usu pacifico, & corporali possessione constituto) possessiones, aut Villæ integræ, occupari non possunt: tempore enim fundationis, seu dum talis Villa poneretur, aut usuaretur Possessio; Reclamatio, & Inhibitio ( ne ibi Possessio, aut villa extrueretur) per eum, ad quem Terra, vel Meta pertinebat, fieri debuisset. ibidem. 3tiò. Unde in hoc casu, juxta æquam Judicis ordinarii limitationem, & diuturnum usum, ac reale ejusmodi Terrarum, aut Possessionum Dominium, per hos vel illos Colonos habitum, distinctio Metalis erigi debet: ita ut Coloni utriusque villæ, prata, agrósque, & cætera habent sufficientia. Quoad Præscriptionem in hac

in hac materia ; vide de *Divisione Bonorum.*  
N. 3.

3. Ex Litteris Metalibus, aliæ valent; aliæ non : quare bene sunt examinandæ. valent  
1<sup>mo</sup>. si ex *Juridica commissione* quorumcunq;  
*Judicium Regni ordinariorum*, sint consecræ.  
2<sup>dō</sup>. vel ex legitima *Reambulatione*, inter Par-  
tes, in id consentientes, formatæ. 3<sup>tiō</sup>. vel per  
modum *concordie*, & *Fassionis*, inter aliquos  
celebratæ: dummodò aliena Jura, & Terras  
inter se non divisorint. 4<sup>to</sup>. vel ex consueta  
*Reambulatione* ( *batár járásból* ) per Regium,  
aut Palatinalem, & alicujus loci *Testimonialis*  
hominem, præsentibus Vicinis, & Communi-  
tatis Terrarum, patam ( non item si *occultè* &  
Partibus interessatis insciis ) & legitimè confe-  
ctæ. 5<sup>to</sup>. Metæ denique in *Donationalibus Re-*  
*giis*, vel *Palatinalibus* denotatae, semper ob-  
servantur: dummodò eadem possessiones non  
fuerint posteà legitimè aliter subdivisæ, & *Me-*  
*taliter*, successu temporum, per *usum*, ac *reale*  
*dominium segregatæ*. P. I. T. 86. si quis verò  
*litteras Metales* produceret, de Terra aliqua,  
præsertim cum clausula : *Dicitur Nobis &c.*  
& non posset probare, se vigore talium littera-  
rum fuisse in usu talis Terræ; tunc illæ ceuse-  
rentur esse inefficaces. *ibidem*.

4. Praxis horum Jurium, describitur per No-  
vellas.

vellas, in hunc modum. Metæ duorum Comitatum, aut Possessionum, duos Comitatus concernentium; per D. Palatinum, vel ejus Commissarios complanentur. A. 19. 1635. Metas verò Arcium, Civitatum, Pagorum, ac Prædiorum controversas, & in uno Comitatu adjacentes; Comitatus ipse ad requisitionem utriusque, vel alterutrius Partium, revideat: è medio sui, vel si videbitur, etiam ex vicinis Comitatibus convocatos, certos legum Peritos Nobiles exmittendo: qui cum supremo, vel Vice-Comite, & altero Judice Nobilium, nec non aliquo ex Prælatis, vel Capitularibus personis, si commodè haberi possint (mediocribus, & pauperioribus causantibus, solo Vice-Comite, & uno Judice Nobilium contentis) ad faciem talium Metarum profecti, auditis Partibus, secundùm Deum, & Justitiam, determinationem facere, ac signa etiam Metalia erigere possint. salvò tamen jure utriusq; Partis, causam, post executionem istam, prosequendi: si verò neutra Partium sufficientia pro se videatur habere documenta; tunc iidem Exmissi authoritatem habent, Terras controversas, pro rata dividendi, ac sequestrandi: donec Partes, jura sua melius edocere possint. A. 20. 1635. qui unà cum Art. 19. ejusdem anni, confirmatur per A. 40, 1715. Executio tamen

tamen in his, sit post reportationem ad sedem Comitatūs, ejusque Approbationem: Inhibitio-  
ne, aliisque juris remedii non obstantibus.  
*A. 23. 1615.* succumbentes verò, extra Do-  
minium, Novō Judiciō uti possunt *A. 45. 1659.*

5. In Metarum igitur Reambulationibus Vice-Comes (nisi sit interessatus, vel suspectus; tunc enim potest per supremum Comitem alius substitui) ad instantiam Partium, vel ad mandatum exmissus, Metas rectificat, juxta cit.  
*A. 20. 1635.* & fortè, respectu controversiæ minoris momenti, etiam Judex Nobilium, cum Jurato Assessore id præstare potest. Testes etiā (vulgò Conjuratores, hic tamen magis de veritate, quam de credulitate jurantes) qui rei noctiam habere præsumuntur, assumi solent: quorum tamen testimonium ultra 60, annos ex-  
tendi non potest. juxta *P. 1. T. 39.* & *47.* ubi si is, cui juramentum impositum fuit, succum-  
bat; Terram controversam amittit. *P. 2. T. 36.* In causis Metarum recentioribus, & 60.  
annos non excedentibus, sensu *A. 127. 1647.* potest procedi etiam juxta Articulos de violen-  
tiis editos. si quando verò utraque Pars usum,  
per Testes sufficienter probavit; causa illi erit  
adjudicanda, quæ antiquiorem usum pacificum  
ostenderit: nisi producantur litteræ in contra-  
rium. *Argum. P. 1. T. 85.* §. verūm juxta

*equam &c.* Commetanei demum ac vicini, non instar *Testium*, sed pro *Convocatis* adhibentur. De *violentiis*, quæ sèpiùs in hac materia occurunt, vide verbo: *De Damnis*. Cæterùm ad evitandam in Metis omnem confusione, probè notanda sunt *Commelaneorum*, locorùmq; uti *fluviorum*, *montium*, &c. *nomina*, *distan-*  
*tiae*, ac *situs* relatè ad *Orientem*, *Occidentem* &c. cùmque nomina rerum facile mutentur; præ-  
stabilius esset, certa semper signa erigere, eaq;  
iis, quorum interest, piaſentibus, sèpiùs reno-  
vare.

*Mutuum -- V. de Debitis.*  
*Nobilis. - V. de Libert. Nob.*

## TITULUS XXIII.

*De Nota Infid. & crim. Læ-*  
*sæ Majestatis.*

Num. I. **N**ota Infidelitatis infert amissio-  
nem Capitis, & Bonorum u-  
niversorum mobilium, ac im-  
mobilium præcisè ad portionem Delinquentis  
cedentium; & quidem irredemptibiliter, ad Fi-  
scumque devolvendorum. *P. i. T. 14. & A. 9.*  
*1723. Crimen vero Læsa Majestatis est, vi cu-*  
*jus cap.*

jus caput, & omnia bona, quantumvis Paterno-Avitica, velut pleno reali ipsius dominio subjecta, & in quibusdam casibus etiam quoad filiorum portiones abalienabilia, exclusis cujusvis ætatis, & ordinis filiis, Agnatis, & Cognatis, salvo non nisi ære, ac jure alieno, amittuntur. A. 9. 2715. ubi hæc subnectuntur: Liberorum autem Paterno criminis non implicitorū, non equidem ex dictamine Legis, sed de Regia clementia, pro meritis, & statu eorum competentia, etiam pro personarum, & rerum circumstantiis, integrâ filiali portione relictâ, specialis habebitur reflexio. E contrâ verò ex eadem ratione, argum. Titulorum 49. 52. & 59. P. 1. Filiorum cum Patre indivisorum, crimen istud incurritum portiones, Patre innocentem, viâ divisionis sequestrari, & per Fiscum Regium acquiri non possunt: idquod multò magis de aliis casibus, Notam inferentibus intelligendum. Portione tamen Fratrum innocentium, & cum Delinquenti indivisorum, prout & legali Uxorio jure, maternis item, & Materno Aviticiis Bonis, ac juribus, ad rationem Filiorum, criminis paterno non implicitorum, salvis semper permanentibus. Legibus tamen Regni, respectu Bonorum paternorum, in omnibus aliis casibus, etiam Notam infidelitatis inferentibus, extra solum Crimen læsa Majestatis, seu Perduellionis, in suo vigore relictis, ita ibi.

2. Ex quibus patet luculenter differentia inter Notam, & Crimen lese Majestatis: quamvis hæc duo Verbōczius confudisse videatur. Imò. quidem, quia Notam judicat Regnum Dia-  
saliter (nunc Tabula Regia A. 26. 1723.) Ulad.  
D. 2. A. 3. & P. 2. T. 75. quamvis etiam cit.  
Ulad. D. sententia Judicum Regni Ordin. hac  
in re, valeat. 2dò. Notorius capi non potest,  
nisi legitimè citatus, & convictus. P. 1. T. 9.  
& A. 5. 1723. Nec Bona illius confiscantur,  
nisi priùs evidenter convincatur. P. 1. T. 14.  
& A. cit. Nec portiones Filiorum innocen-  
tum, licet indivisorum, amittuntur. E contrà  
verò in Crimine lese Majestatis: Imò. Judge  
ordinarius est solus Rex, qui si in persona cau-  
sam coguoscere velit, potest id facere in, vel  
extra Regnum, cum Consiliariis Hungaricis:  
si autem per alios; Judices Ungaros, pro suo  
arbitratu deligere debet; qui omnino int̄ Reg-  
num juxta leges patrias causam à se discussam,  
ad Regem referunt. A. 7. 1715. 2dò. Reus  
Lese Majestatis, ubique in Regno, & Parti-  
bus eidem annexis, sine prævia citatione capi,  
ac detineri potest. ibidem, & A. 5. 1723. 3tiò.  
si in flagranti deprehendatur, licet capi non  
possit, articulariter tamen, ac manifeste Reus  
esse judicetur; potest Fiscus Regius omnia sta-  
tim ejus Bona mobilia, & immobilia appre-  
hende.

hendere A. 7. 1715. secūs autem tantūm se-  
questrantur, usque ad sententiam finalem.

3. Committitur autem Crimē læse Majestatis;  
siquis manus impias in personam Principis nostri  
injecerit, vel capiti ejus gladio, aut venenō in-  
sidiatus fuerit: sive murum, aut domum, in quo,  
vel qua Princeps extiterit; violenter invaserit.  
P. i. T. 14. item: si quis in Regem, aut Re-  
gnūm conspiraverit, aut conspirare aliquid ten-  
taverit, seu Tentanti scienter consenserit: vel  
si quis hujusmodi aliquem noverit, & probare  
valens (quod bene notandum) non indicaverit.

S. Steph. Lib. 2. c. 51. & A. 7. 1715. si ta-  
men aliquis alterum malitiosè incusat, dubia  
pro veris affirmando, & in proba deficit; ar-  
bitrariā omnino severiori pænā, vel pro cir-  
cumstantiis, etiam Talionis, per eosdem Judi-  
ces puniatur. ibidem. si quis autem ex pura er-  
ga Principem fidelitate (quod ad evitandam et-  
iam, si quid ei notum eatenuis fuisse deinde  
cognoscatur, sui punitionem, facere tehetur)  
simpliciter retulevit, nec factum affirmaverit,  
aut probam in se assumpserit, nulli pænæ sub-  
jacebit. Ut si diceret, aliquid sinistri se audivisse  
de aliquo, vel aggravantia de jure indicia  
advertisse A. 7. Cit.

4. Notam infidelitatis incurruunt adhuc sequē-  
tes: imo: Evidenter semet erigentes & op-

ponentes contra statum publicum Regis , & Coronæ. 2dò. Judices , & Fide dignitates , authenticis ex officio sigillis fungentes, taliterque falsas litteras conficientes , ad sensum P. 2. T. 16. uti dictum est verbō: de *Cognitione falsarum Litt.* 3tò. Cusores falsarum Monetatum , vel his scienter , & publicè , in quantitate 50. circiter florenorum , utentes. 4tò. Inductores , & Conductores quorumcunque hominum , ad spoliandum , & disturbandum internum Regni statum. 5tò. Hæretici publici , damnatae scilicet Hæresi adhærentes. 6tò. Malitiosi Amisfores , & Tradidores castrorum finitimorum Regni , ejusdémque partium. 7mò. Administratores armorum ; & belli tempore , etiam Victualium , Turcis , & aliis Infidelibus , Regni hujus Æmulis , & Hostibus. 8vò. Turbatores , Detentores , & spoliatores illorum , qui sectæ Gentilium renunciantes , ex Turcia ad istud Regnum , vel Partes ejus confugiunt moraturi. 9nò. Tricesimatores & alii , qui in diminutionem Regionum proventuum , aurum , vel argentum conflatum , clàm è Regno efferunt , vel cum Efferentibus conspirant. Hi igitur etiam per *Novellas Leges.*, nominatim verò per A. 9. 1723. adhuc *Notā Infidelitatis* , amissione nimirūm capitis , & Bonorum mobilium , ac immobilium , ad portionem Delinquentis cedentium , seruntur.

s. Casus aliquot, anteâ Notæ Infidelitatis; nunc  
 in Altus Majoris potentia mutatos; vide ver-  
 bô: de Actibus potentiariis, N. 7. 8. 9. Alios  
 ad pœnam mortis relatos; habes verbô: de Ho-  
 micio, N. 2. Alii præterea casus olim Notorii;  
 hodie pro ratione delictorum, ad diversas pœ-  
 nas reducuntur. Utpote Confectores falsatum lic-  
 terarum, vel iisdem scienter, & evidenter in  
 Judicio utentes, & non in vita, sed tantum  
 in Bonis quempiam damnificare intendentés;  
 ultra refusione damnorum, & expensarum,  
 in pœna etiam infamiae: Passualium tamen, &  
 Missilium Litterarum, in levioribus casibus  
 Confectores, vel talibus scienter utentes, licet  
 nec honori cuiuspiam obessent, nec ullum da-  
 mnunum causarent; tamen juxta prudens Judici-  
 um, pœnæ promeritæ per Tabulam Regiam;  
 vel Comicatus; respectu verò Civium, per  
 eorundem Magistratus, puniendi subjiciuntur.  
 De Incestuosis vide verbô: de Matrimoniis. No-  
 lentes verò ire ad bellum, vel militem non  
 mittentes, Rege insurgentes; pariter & Capi-  
 tanei, ad falsos rumores, Gentes levantes, pœ-  
 nâ pro circumstantiis arbitrariâ; liberos autem  
 Haydones intenterentes, quoad personas, æquè  
 pro circumstantiis, pœnâ delicto proportiona-  
 tâ; quoad verò causata per eos damna, in co-  
 suadent cum expensis fienda refusione multan-

di: si qui demum præter suprà , nempe : ex A. 9. 1723. N. 4. hic allatos, adhuc alii Notorit dicendi essent ; tales pro ratione facti , ad pænam delicto conformem , pro reductis declarantur. ita statuitur A. 12. 1723. Unde multi casus in Titulo 14. P. 1. & in Cynosura Juris Ung. sub nomine Notioriorum relati ; jam non sunt Notorii. Confer hæc cum dictis , de Capitali sententia &c. item de Homicidio , ac de Actibus potentiariorum.

## TITULUS XXIV.

### De Novo Judicio.

Num. i **N**ovum Judicium , est Juridicum remedium , quo Pars in causa succumbens , iterum eam resuscitare , ac omnia allegare , excipere , non productas litteras producere , & generaliter omnia , quæ juris & justitiæ , nec non defensioni , causæ suæ proficia esse cognoverit , peragere valeat. ita Kitt. c. 8. q. 14. & P. 2. T. 77. in princ. Unde patet imò. quod Novi Judicij collatio , aut Procuratoris revocatio semper presupponat errorem , & defectum aliquem: non enim est necesse Novum Judicium impetrare , vel responsionem Procuratoris revocare , nisi in processu causæ erratum fuisse prius , depre-

deprehendatur. P. 2. T. 75. 2dō. quod in *Novo Judicio*, præter recapitulationem priorum, debent fieri novæ allegationes, exceptiones, & objectiones, ut habetur P. 2. T. 77. earundem enim *Allegationum* repetitio, nîl nisi illusio Partis adversæ, ac damnoſa liuis prorogatio vide-ri posset.

2. *Novum Judicium* impetrari semper potest (nisi omnia omnino remedia juridica excludantur) verum tamen, ejus vigore Partem alteram ab executione sententiæ, literarumque Adjudicatoriarum extractione, vel extraditione, Judices ordinarios, eorumque Protonotarios nequaquam valeat quisquam impedire. Imò ipsa Pars triumphans, hujusmodi litteras, nîl obstante *Novo Judicio* sic impetratō, executioni dari facere; Pars vero *Novum* impetrans, non nisi extra Dominium prosequi poterit. *ibidem. sub fin.* Excipe hinc casum, quo aliquis legitime impeditus (vide verbō de *Excusatione rationabili*) ad Judicium comparere non potuisset ac per non venientiam convictus fuisset: tunc enim & Judices ab extraditione dictarum literarum, & Partem adversam ab extractione earundem inhibere valebit. *ibidem.* Ubi observa; quod causa per formam Novi inchoata, uno termino juridico, & ante omnes causas concludi soleat. *ibidem.* neque *Novum* impetrare

potest in aliqua causa, qui in ea non egit mortuō tamen illō, qui in tali causa succubuit, Hæres ejusdem ac successor, eō factō, potest impetrare Novum Judicium. P. 2. T. 78. In eadē tamen causa secundō ab eadem persona impetrari nequit. P. 3. T. 11. §. quoniam unaquaque Partium &c. Confer hæc cum infrā dicendis.

3. *Novum Judicium*, quadrifariam dividitur. Imò. In *Novum cum Inhibitione*, quod nempe uti potest is, qui per non venientiam convictus, rationabilem tamen, nec per se, nec per Procuratorem veniendi causam allegavit: ac proinde *intra dominium*. Ulad. D. 1. A. 51. & P. 2. T. 77. si autem justam absentia causam non alleget; non nisi *Novo simpliciter* & *extra dominium*, uti permittetur. ibidem. Confer his A. 55. 1550. ibi: *Inhibitio his qui tunc in Judicio comparent, vel cum aliis in judicio agunt, non detur, & si quis quicunque viā indebitā impetraverit, in pœna Emenda lingua convincatur.* Quod si tamen sententia nondum fuerit extra data; poterit *Novizans* etiam absque litteris *Inhibitoriis*, tam *Judices* ab extraditione litterarum sententialium, quam Partem adversam ab extractione earundem inhibere. Kitt. c. 8. q. 15. dividitur 2dō. *Novum Judicium*, in *Novum cedendo Appellationi*: quando scilicet quis in causa succumbens, appellat

Pellat ad Forum altius; sed postmodum rebus  
perpensis, vel appellacioni statim cedens, adhuc  
in Partibus Novum impetrat; vel cum in Foro  
Appellationis causa revidetur; allegat, se Novo  
Judicio nondum usum fuisse, illudque petit:  
quod si nil obstet, à quocunque Judice ordi-  
nario eidem statim conceditur. Kit. c. 8. q. 18.  
3to. Dividitur in Novum simplex, sic dictum;  
quod absque ulla prævia Appellatione, Inhibi-  
tione, vel Gratia pure ex novis Partium respon-  
sionibus, instituatur. 4to. In Novum cum Gra-  
tia, quod à solo Principe nostro dari solet. At-  
que de hoc potissimum intelligenda, quæ su-  
præ N. 2. adduximus: hōc enim uti nemo per-  
mittitur, nisi extra dominium ( quoad simplex,  
habes intrà ) nec per hoc potest executio im-  
pediri. Potest autem hoc Novum etiam in  
illis causis adhiberi, in quibus jam semel fa-  
cta est Repulsio. P. 2. T. 7. §. in quo tandem  
&c. in iis enim non secundaria Repulsio, ut pose val-  
de pænalis; sed Novum cum Gratia arripi solet.  
vide quædam hac facientia, de Appellat. N. 2.

4. Pro horum Novorum usu, præter dicta, sci-  
endum est immo. quod Novum cum Inhibitione,  
differat ab Inhibitione simplici: quia Inhibitione sim-  
plex in causis præsertim longi Processus, in Ta-  
bula Regia. Novum autem cum Inhibitione,  
etiam in aliis causis, & Tribunalibus infe-

rioribus locum habet. Quia in re consulenda  
*Praxis locorum.* 2dō. quia *Inhibitio simplex* vadit  
*cum onere*; non item adjuncta *Novo*. Scendum  
præterea, quod si sententia per non venientiam  
lata, ante exhibitionem *Novi cum Inhibitione*,  
jam executioni sit mandata, nec *Novizans* u-  
sus sit *Repulsione*; quod inquam tali casu, si  
justam non comparitionis rationem habeat,  
tunc prius *Bona* reexequenda erunt, ac tum  
*Novā* intra dominium utendum. arg. P. 2. T. 77.  
§. casu verò &c. & P. 2. T. 59. Nam sine cul-  
pa, nisi subsit causa; non est aliquis puniendus.  
*De Reg. Fur.* in 6. nec est in mora, qui potest  
exceptione legitima se tueri.

5. Observandum præterea imo. *Novum cen-*  
*dendo Appellacioni*, in causis violentiarum, *ex-*  
*tra Dominium* duntaxat admittitur: A. 23.  
1613. vide de *Appellationibus*. 2dō. *Novum sim-*  
*plex*, quilibet olim *Judex Regni* ordinarius da-  
re poterat: at hodie potest quis *Novō* hoc uti,  
sine omni *Mandato*, penes *novam* duntaxat  
*Actionem*, causam suscitando. A. 33. 1723.  
3tio. Non acceptatur *Novum simplex* à *Judice*  
nisi post *executionem sententie*; adeoque *extra*  
*dominium*: uti *praxis* habere videtur; idque  
maxime in causis violentiarum, & *acquisitione*  
*rerum mobilium*. A. 29. 1609. 32. 1662. 4tō.  
Quamvis hæc *Nova*, non nisi semel in eadem  
causa

causa admittantur: ubi tamen aliquis prioribus  
 duobus jam esset usus, poterit adhuc impetrare  
*Nouum cum Gratia. praxis. 5tò.* In causis ap-  
 pellatis, & in *Tabula Regia* revisis, post Re-  
 visionem; tantum *Nouum cum Gratia* habet  
 locum, & non *simplex*; ut judicatum est Po-  
 sonii, 1702. 9. Junii. 6tò. *Mandatum Novi*  
*Judicij*, sonare debet ad *Judicem prime Instan-*  
*tiae. A. 53. 2655. & 126. 1659.* eō autem in-  
 terim mortuō, aut mutatō, ad successorem  
 eiusdem; secūs nīl roboris habet. *A. 126. cit.*  
*7mò.* Non tantum in causis *Civilibus*, sed etiam  
*Criminalibus* (nisi excipiantur) *Nouum Judi-*  
*cium* habet locum: ut patet de *Nota Infideliti-*  
*tatis*, & ex *A. 41. 1563.* ubi etiam *homicidis*  
 datur facultas, utendi *Novō*: modò illud non  
 contineat in se *Gratiam vita*. Quamvis jam  
 nec *haec continentia* videatur obesse; cùm per  
*A. 48. 1715.* *deliberatis etiam homicidis Rex*  
*Gratiam conferre possit. Praxis fert*, ut, *No-*  
*vō rem*, per sententiam *Judicis amissam*, pro-  
 sequens; ante omnia deponat priorem *citatio-*  
*nem*, & *actionem*: ne duplicit viā calumniam  
 incurrat. Petitur autem produci *Processus* prior  
 determinato tempore, loco, & *Judice*, & *A-*  
*ctore*, & *Incatto*: quando? ubi? quis? contra  
 quem? coram quo succubuit? & unā, ut, si  
 non producatur; per sententiam *Judicis cas-*  
 factus.

6. 8vo. ubi generatim excludantur omnia  
Juris remedia, eiam Novum habetur pro ex-  
cluso: nam in toto Partem, non est dubium con-  
tineri. Reg. F. in 6. si autem certa duntaxat  
Juris remedia præcludantur; tunc aliis reme-  
diis, ibi non expressis, potest quis uti. Ubi ta-  
men observa; quod litteræ sententiales, &  
executionales cum clausula: abscissis cunctis  
Juridicis remediis &c. non præcludant viam  
utendi Novo Judicio extra dominium; sed so-  
lum intra dominium; ut clarè habetur. A. 38.  
1729. Imò. Novum Judicium cum Inhibitione  
impetrans, & litteras Relatorias super illius  
executione, in tempore extrahere negligens,  
in facto Calumniæ condemnatur. Ulad. D. 5. A.  
11. quod alii sic effrerunt: Novum Judicium  
impetrans, & illud non persequens, calumnia-  
tur: ut in Enchirid. jur. Ung.

Oculata Revisio. V. de Probat.

## TITULUS XXV.

### De Officiis, Officialibus Ge- neratim.

Num. 1. **V**eri Barones Regni Hungarie;  
sunt: Palatinus. Iudex Cu-  
ria Regia, Bonns Dalmatiae,  
Grec.

Croatiae, &c. Vajvoda Transyl. & Siculorum Comes, Banus Zawrinensis, seu Severiensis erat propè Orsavam ad Danubium ) Banus Marchoviensis. Magistri item Thavernicorum, Janitorum, Pincernarum, Dapiferorum, Agazonum Regalium, & Reginalium : neccnon Temesiensis, & Posoniensis Comites. P. I. T. 94. quibus adde Magistros Cubiculariorum, & Curiae Regis. Atque hi intelligendi, quando iure fit mentio de Baronibus Regni. Eorum Officia sunt imò. In Octavis, ac Brevibus Judiciis duo interesse debebant. Ulad. D. 3. A. 2. & juxta A. 38. 1559. etiam terni. 2dā. Juramentum illorum, pro 10. Nobilibus reputatur. P. 2. T. 40. Baronum denique violatores incurvant Majorem potentiam, sensu A. 10. 1723. Vocabantur olim Jobbagyones Regni.

2. Officia Baronum ; aliisque Regia collationis munia, tam majora, quam minora, Ungaris conferri volunt Constitutiones Regni plurimæ: uti Ludov. II. A. 17. 1523. A. 43. 1536. &c. Vide Tit. de Authoritate Regis. Officia porro publica assumere Nolentes, qualia hic enumerantur : Vice-Comitis, Judicis Nobilium, Juratorum &c. pñna Decretali puniri jubentur. A. 54. 1559. Quæ pñna olim varia, juxta Ulad. D. 1. A. 34. reducta est ad 25. Marsas : ubi additur ; neminem secundò ad officium

cium semel gestum, intra quinqueñium cogi posse relatè ad officium Judicis Nobilium.

3. *Officiales Districtuales*, sententiam per non venit, latam, per 15. dies Juridicos, ab Executione suspendere jubentur. Quid si interim Pars convicta adveniat, legalem offerens excusationem non comparitionis; tunc sine ulla pena, aut nova certificatione, Processus erit continuandus. si vero excusatio non subsistat, illicet expensa ob moram factæ, Parti triumphanti refundi, ac sententia executioni dari debet. A. 32. 1723. Quod tamen limitatur per A. 38. 1729. ut etiam in casu non legalis absente, cum onere refundendarum expensarum, possit Pars convicta causam prosequi; nisi illa, ex natura sua esset unius Terminii. hæc tamen omnia, extra Forum Tabulare, ac Districtuale, non habent locum. ibidem. *Officiales* porro *Districtuales*, ad minus tres Judicio semper interesse, ac secundum votorum pluralitatem, sententiam ferre debent: in casu vero, quo vota bifariam dividerentur; cui Parti Praeses, vel ejus vices gerens adhæserit, illius sententia standum erit. A. 31. 1723. vide de Foro Compet.

4. *Officiales Comitatenses* debent esse Possessores in Comitatu, in quo præsunt; item Nobiles, & Disinteressati, nec Dominis terrestribus ejusdem Comitatus, nullatenus obligati. Ma-

Reg. D. 6. A. 61. item A. 56. 1723. Et Inferiores quidem officiales, cum consensu totius Comitatūs, ad sensum A. 70. 1548. eligendi, & coram Comitatu, statim juramento adstringendi; neque secūs eis parere quisquam teneatur. *ibidem.* & A. 61. 1486. supremus autem Comes, coram Rege, vel per A. 38. 1542. etiam coram Comitatu. qui jubetur residere in Comitatu, cui præest (imò per A. 2. 1504. non potest fieri supremus Comes, si extra Regnum. resideat, aut Extraneus sit) & singulis trienniis, Restaurations peragere, & 4. Candidatos, cum priori Vice-Comite numerando, pro hoc officio proponere. A. 36. 1536. & A. 56. 1723. Nec pro supremis Comitibus, Minorennes, aut in Comitatu Bona non habentes, ponantur A. 33. 1638.

5. Hujusmodi Officiales, in minoribus apud Regem Calumniosè deferens, in 100. florenis, ac damnorum, & expensarum refusione; in majoribus verò, in pœna Talionis, coram Tabula Regia convincatur. A. 9. 1567. & 63. 1715. Neque Comitatenses, aut Civitatenses Officiales, cum militia accordare, vel Excessus condonare, aut discretiones offerre possint, sub pœna dupli discretionis, & Excessus condonati, sed neque Dominis terrestribus, ex parte subditorum; aut Judicibus locorum, hanc accordam facere, aut

aut *discretiones dare licet*; sub eadem pæna. A. 18. 1729. vide plura Tit. de *Excessibus Ecclesiasticorum*, corūmque *Officialium*. Item de *Foro Competente*. *Officiales enim cuncti*, etiam *Regii*, jubentur se accommodare legibus Patriæ: secūs juxta easdem puniendi. A. 48. 1638. *Officiales verò salis*, corūmque *Obequitatores*, nonnisi adjuncto sibi *Judice Nobilium*, salem in domibus Regnicolarum exquirere possunt. A. 13. 1715. neque præter solitum pro ponderatione grossum, variis titulis quidquam exigant. A. 6. 1729. *Officiales demùm Domini- rum*, & *Nobilium*, in testificando Nobilibus æquiparantur P. 2. T. 27. habéntque authoritatem, cum *Procuratoriis Principalium suorum*, subditos officio suo subjectos, contra quosvis defendendi; aliisque *Querulantibus*, justitiam de ipsis administrandi. P. 2. T. 53. P. 3. T. 18. & 32. vide etiam de *Sede Dominali*. Item de *Dannis*, &c. ut & de *Judicibus*.

## TITULUS XXVI.

### De Oneribus Assumendis.

Num. 1. **O**nus Assumere; est, fidejussionem quamdam, super observatione paternæ; vel Fraternæ *Passionis*, Emptori bonorum aliquorum facere.

P. I. T. 59. Oneris verò assumptio tripliciter fieri potest. 1mò. Simpliciter; nullà scilicet rationabili causâ: ut si bona indivisa venderes, aut inonerares, gratiâ commutationis duntaxat, vel ex invidia, vel alio quovis affectu, erga tuos condivisionales inordinato. Et hæc oneris assumptio non tenet in Judiciō, sed de plano invalidatur. 2dò. Assumuntur onera ex causa rationabili: ut si portionem, Filio, vel Fratri Cessuram, abalienares; Molas, aliisque Aedificia Heredi utilia extruendo; vel alia Bona utiliora redimendo; vel denique utiliter concambiando: & hujusmodi Fassio, ac oneris assumptio tenet in judicio. P. I. T. 59. Nec de plano invalidari, ac revocari potest: modò assumptio non fuerit tantum generaliter concepta. vide Tit. de Bonis Avitidis non abalien. N. 2. 3tiō. Potest fieri oneris assumptio, extrema necessitate urgente: ut si capitaliter sententiationatus, cum Adversario concordare; vel in hostili captivitate existens, se redimere non posset: nisi Bona abalienando, aut inonerando. Et hæc oneris assumptio, est irrevocabilis; ita ut licet esset unica, & singularis persona, ac defectui proxima, Fatens ipse; aut portionem filii ( ante divisionem tamen ) abalienaret: tamen neque consensus Regius, neque Filii, vel Fratrum condivisionalium requiretur. ibidem, sub medium.

Ex his

Ex his patet, quod possessionaria venditio sit *triplex*; nempe *simplex*, *Rationabilis*, & *Necessaria*. Prima nunquam valet; 2da aliquando valet, ut dictum est, aliquando non; 3ta Semper tenet, nec unquam invalidatur. P. I. T. 59. cit. vide etiam de *Fassionibus*.

## Oppositio. V. de Repulsione.

### TITULUS XXVII.

#### De Palatino ejusque Officiis.

Num. I. **P**alatinus Regni Hungariae (qui Anno 1741. renunciatus est Excell. ac Ill. D. Com. Joannes

Pálffy ab Erdőd, ságó, togáque Inclitus) ex quatuor Magnatibus, per Regem candidatis, elititur per Regnicolas. A. 3. 1608. ante coronationem. Palatino decedente, Diæta intra unum annum incisi, pro Novi electione, debet per Regem; vel ipso nolente, per Judicem Curia Regia, aut Thavernicorum Magistrum; sub pena amissionis officiorum. ibidem, & pluribus aliis Articulis: debetque ejus electio ante omnes alios Tractatus, ipsamque propositionum extraditionem, institui. A. 3. 1622.

2. Officia Palatini recensentur per 12. Articleulos Anni 1485. occasione Emerici de Zapolya, sub

lyæ, sub Mat. Rege in *Palatinum* electi; nempe: quod in electione Regis, habeat primam vocem, sitque *Tutor*, vel *Curator* Hæredis Regni: quod Rege non existente, vel in tenera ætate constituto, *Dietas* indicere teneatur: insurgentes Regnicolas, tanquam *Supremus Capitanus Regni*, juxta arbitrium tamen *Regiae Celsitudinis*, gubernat: discordias inter Regnicolas, vel inter hos, & Regem, sedat: audit *Oratores*, Rege eos audire nequeunte: querimonia Regnicolarum, Regi defert: est maximus *Judicium Regni*: Rege absente, est ejusdem *Locumtenens* in omnibus, quæ Regiæ authoritati specialiter non essent alligata: deinde *Judex Cumanorum*; cum salario *trium milium aureorum*, totaque *Dalmatia* Judicio ejus subjacere debet.

3. His adde, quæ per *Novellas* deinde constituta, aut confirmata passim habentur. 1<sup>mo</sup>. *Officium Palatini* est *perpetuum*, nec auferri ab eo, vita comite, potest; nisi ob Crimen, vi cuius & caput amittat. *Lud. II. A. 22. 1526.* 2<sup>do</sup>. omnes Gentium *Praefecti*, *Praesidiarii*, eorumque *Capitanei* in *Ungaria*, dependent ab eo. *A. 10. 1555. A. 4. 1618.* 3<sup>ti</sup>o. in Bonis, & juribus possessionariis, quocunque titulo ad *Fiscum Regium* devolutis, potest conferre 32. *sessiones Jobbagyionales. A. 66. 1609. A. 30.*

1659. uti & Tutelas. Per postremos tamen *Diales Articulos*, ejusdem authoritas non nihil est circumscripta: nam Bona, semel à Fisco apprehensa, ac possessa; conferre atque plius non potest. A. 4. 1723. licet conferre adhuc possit; quæ *Fiscus* nondum apprehendit effectivè: absque tamen *avulsione* à reliquo possessionis corpore; ut habetur etiam inter facultates *Ioannis Hunyadi Guber.* 1446. *Donationales* nihilominus comunicandæ erunt cum *Cameris Regiis*, *intra annum*; sub nullitate *Collationis* sive *Regiae*, sive *Palatinalis*. A. 33. 1715. plura forte de his in *Diata anni 1741*. sed cuius statuta videre Nobis nondum licuit.

## TITULUS XXVIII.

### *De Patris, Filiique mutuo Officiis.*

Num. I. **Q**uid, ratione Bonorum, Patrem inter & Filium, officii intercedat? dictum est suis locis; scilicet verbō: de *Bonis Aviticis*. &c. de *Divisione Bonorum*. de *Fassionibus*, item de *Caſibus*, in quibus Pater potest Filium ad *Divisio-*  
*nem compellere*, & *vicissim*. &c. nunc primū de Patria potestate: tum de aliis quibusdam Patris,

Patris, & Filii officiis. Omnes Filii, & Filiæ, legitima, & illegitima ætatis, sub patria sunt potestate ; donec legitimè emancipentur. Fit autem emancipatio 1mò. Ex parte quidem *Filiorum*, per Bonorum divisionem cum Patre : ex parte verò *Filiarum*, per matrimonii consumationem, seu emaritationem. P. I. T. 51. 2dò, per mortem Patris, si Tutores testamentarios, Filio illegitimæ ætatis, non substituit : modò Pater jam fuerit suæ potestatis ; secùs enim Nepos in potestatem Avi recidet. 3tiò. si pater ob *Notam*, vel alios enormes excessus, Bonis privetur, & Capitali Sententiâ damnetur. 4tò. Si Pater in captivitatem hostium inciderit: nam qui *captus est*, alium in potestate sua habere non potest ; idque quamdiu durat captivitas. ita hæc statuuntur P. I. T. 56. adiungit *Jurisperiti*, tolli patriam potestatem, etiam per matrimonium, & per mortem Patris qualemcumque. *Furiosus* autem, aut mente captus (idem est de *Furiosa*) semper est inpotestate Patris; vel eo non existente, Fratris majoris natu P. I. T. 55.

2. Patriæ potestatis effectus sunt. 1mò. Filius non emancipatus, de Bonis mobilibus, aut immobilibus paternis, nil vendere, vel aliter alienare, neque Contractum ullum super illis facere potest, Patre non consentiente. P. I.

7. 51. 2dò. potest Pater talem castigare, licet sit ætatis legitimæ; imò pro ratione delicti, etiam incarcere: quod si Pater negligat; potest id ipsum ejus locò facere Magistratus. A. 105. & 111. 1723. 3tiò. In necessitate rationali, potest onera Filiorum assumere; in extrema vero necessitate, etiam Bona eorum vendere. 4tò. Invito Patre, nemo Filium apud se retinere potest. 5tò. Potest Filium pro se ob fidem dare; non è contra. 6tò Filii non possunt testari quidquam de rebus mobilibus paternis, nisi quantum pater admiserit: possunt tamen super rebus, proprio eorum servitio, aut labore acquisitis, etiam præter voluntatem Patris, liberè testari. ita hæc P. I. T. 51. cit.

3. Filius pro delictis Patris (excipe Crimen læsa Majestatis) & è converso, nec in persona, nec in Bonis, ac juribus condemnari, vel aliter puniri potest. Ulad. D. I. A. 74. & P. I. T. 79. P. 2. T. 60. 2dò. Filii, Parentum verberatores, aut vulneratores, pro rerum, ac factorum circumstantiis, morte plectuntur. A. 11. 1723. nec Filius Patrem criminaliter accusare potest: nisi dum causa in perniciem Principis, vel totius Regni vergeret. P. I. T. 52. & 53. 3tiò. Pater ex Aviticio filium ex hæredare non potest, nec in ejus præjudicium Bona abalienare P. I. T. 52. 58. 61. 4tò. Par-

ter acquirit Filio, & vicissim. P. i. T. 53. in fin. 5to. Pater, ut Tutor naturalis, ad dandas Filio rationes, non obligatur. A. 68. 1715. vide plura in suis locis, suprà N. i. cit. & Tit. de Conservatore Litter.

*Perjurus.* - - V. de Pœnis.

*Personæ Eccl.* - V. de Iñu. Ecc.

*Plenipotentiarius* - V. de Proc.

## TITULUS XXIX.

### De Pœnis Variorum Exces- suum.

Num. i.

**Q**uamvis de Pœnis satis jam, uti Tit. de Homicidio. Gratia. Infamia. Calumnia. Birság. aliisque locis actum sit; tamen pro pleniori notitia, juvat hic speciatim aliquas afferre: ut cognitâ legum severitate, à moribus dissolutis arceantur, qui amore æqui, ac honesti, ad observantium adduci non possunt. Igitur immo. de pœna Depositariorum. si qui, res, ad fideles eorum manus, pro custodia depositas, legitime admoniti, restituere nollent; tunc ad proximum terminum sive Brevium (vide de Foro Cöper.) sive Octavalium evocati, in unico termi-

no, in duplo, & pœna Infamia convincantur: excipiendo casum, quò res deposita, <sup>ca-</sup>  
finaliter, & invitò Depositariò, perdita fuisset.

A. 16. 1622. deinde verò statutum est; ut contra Tales, mediò Judium admonitos, tanquam contra violentos, vigore brevis processus, etiam cum refusione damnorum, exindescutorum, procedi possit. A. 28. 1638.

2. 2dò. Perjurus, seu Aucarius est, dum quis juratam (*in licitis*) promissionem, aliquid alteri faciendi, aut omittendi, frangit; vel in fraudem jurium alienorum, malitiose jurat. Ejus pœna, est amissio universorum Bonorum, ac perpetua infamia. Et hoc eō casu, quando Perjurus contra jus Sacrae Coronæ, falsum testimonium perhibet. Com. Syst. & P. 2. T. 30. nam respectu Actoris (*alterius*) tantum in homagio, & emenda capitis convincetur. *ibidem.* & quamvis à pœna jurata promissionis, excuset gravis agritudo, aut alia adimpletionis impedimenta; nihilominus tamen implere deinde compellitur: nam promissum cadit in debitum. *ibidem.* 3tò. si quis adversus Conjuratorem alicujus excipiens, dicat esse infamem, & probare non possit; in homagio ejusdem convincendus. P. 2. T. 36. ita ut si Conjurator fuerit Nobilis; in 200. secūs in 4<sup>o</sup> fiorenis.

3. 4tò. Furtivam rem scienter emens, punitur, ut Fur. S. Lad. l. 2. c. 7. Si vero in castris, equus furtō sublatus, apud aliquem reperitus fuisset, sub fidejussione usque ad finem talis *Expeditionis*, relinquebatur apud suum Possessorēm; ac tum coram *Agazonum Magistro*, judicium siebat. P. 3. T. 34. hodie vero Officiales militares, statim satisfactionem impendunt: qui quidem Milites, in militaribus, militari, in aliis autem, *Tribunali Regni* subsunt.

A. II. 1723. Ubi vero in causa Equi, vel alterius animalis furtim alienati, & non in; sed ubicunque extra *Castrā* inventi, Reus conveniens non posset super ejusdem emptione, evindens producere testimonium; tunc Actor tertio se, sibi similibus jurabit, ac rem furtō ablatam, hac ratione recuperabit. Ubi si in causa *Attractus* dixerit; se rem ejusmodi emisse, neque tamen *Evidorem*, seu *Expeditorem* ( hominem nempe, à quo emit ) statuere intra sex hebdomades; nec alium quempiam, qui mercipotum ( áldomás ) more solito benedixisset, remonstrare possit; patibulo reus erit P. 3. T. 34. & S. <sup>1</sup> Ladis. L. 3. c. 9. quamvis etiam aliis, hujus emptionis conscientia, testari possit. Fur vero manifestus, ubique capi potest, in que loco delitti puniri, ibidem, & Prolog. T. 9. Eurem autem captum dimittens Plebs;

vel *Communitas*, homagium ejus, Comiti Parochiali; *læsis* damnum persolvet. Mat. Reg. D. 6. A. 38.

4. De pæna *Incestus*, & *stupri*, relatè ad *Novercam*, aut *Privignam*; vide de *Matrimonii*. pænam verò *Adulterii*, habes verbò: de *Concordia Litigant*. cui adde: quod Uxore, ob adulterium, ad mortem damnata, ejusdem *Dos Marito*; *Paraphernalia* verò liberis, vel *Consanguineis* cedant. P. I. T. 105. confer cum dictis de *Dote*. N. 5. si qui autem *Rustici*, puellæ, & mulieres *Nobiles* violarent, horrendâ morte; Postri verò eorum perpetuâ infamia plecti jubentur. A. 47. 1514. A. verò 36. 1622. omnes ( de *militibus loquitur* ) Ecclesiastarum, Mulierum, ac Puellarum violatores, capitali sententiæ subjiciuntur. *Stuprum* denique virginis, aut mulieri cuiusunque, & à quounque, per vim illatum, homicidio computatur. S. Ladis. L. I. c. 32. peccatum verò *Sodomiticum* igne punitur. Gen. c. 19. *Polyviria* denique morte. A. 6. 1625. idem est de *Polygamis*. A. 39. 1599. licet neutrobi pæna exprimatur, possunt capi etiam *Nobiles*, præmissa Inquisitione.

5. Siquis Colonum ( quod hic, & alibi dicuntur de *subditis injuriatis*, vel *injuriantibus*; idem de *Familis Ignobilibus* intellige ) propter debita Domini terrestris, arrestaret; in vivo homagio

magio Arrestati, & rerum arrestatarum aestimatione convincatur. *Ulad. D. 1. A. 90.* nam arrestare pro alienis debitis, neminem licet; sub pena Articulari. *A. 79. 1681.* nisi Judex talis Civitatis, aut Dominus terrestris requisitus (quæ requisitio constare debet, testimonio Judicis requirentis) justitiam denegasset. *Sigis. D. 6. A. 13.* Cæterum omnes arrestationes licetæ, non propria authoritate, aut terra; sed medio Judicis, & in loco communi fieri jubentur, *ibidem A. 15.* Secùs facientes, pænam potentiae incurunt. *Sigis. D. 3. A. 5.* juxta *Uladis.* autem *D. 6. A. 13.* pro indebito arresto tres Marœ, cum altero Birsagio itidem trium marcarum, imponuntur. Qui autem statim arrestari possint? vide de Casibus, in quibus Nobiles captivari &c. Malefactorem, ultra triduum, apud se detinens, & Officiali non assignans; in homagio ejusdem punitur. *P. 1. T. 32.*

6. Milites sine licentia, ex Castris recedentes, vel tardè, post conflictum venientes; si Nobiles fuerint, Bonis priventur: Ignobiles verò caput amittant. *A. 13. 1454.* sed per *A. 12. 1652.* etiam Nobiles capite mulctantur. Eadem pæna manet eos, & simul amissi omnium bonorum; qui in Domibus Nobilium, vel Ecclesiasticorum condescendunt. *A. 2. 1536.* Pænam verò *A. 13. cit.* incurunt etiam illi,

qui levatō stipendiō, clām se subducunt. *ibidem.*  
 & A. 12. cit. Aufugientes verō, Comitatenses, & Villani capere possunt. A. 31. 1598.  
 Quoad modum, & pēnas, tempore *Insurrectionis*; vide A. 46. 1681. Milites in Territorio bona habentes, ejusdem loci Magistratibus obtemperare debent A. 78. 1681. &c. A. 11. 1723. de pēnis, in *Accordas*, cum militibus excedentibus, consentientium; dictum est Tit. de *Officialibus*. De Pēna in *Facto Honoris*, vi de Tit. de *Infamia*, provenit autem hēc pēna ex his casibus. 1<sup>o</sup>. si quis pactis, sub fide, honore, & humanitate initis, non stetit. 2<sup>o</sup>. si contra salvum suum conductum, seu proprias litteras assessorias, aliquem violavit. 3<sup>o</sup>. si Contumeliis, vel scriptis aliquem læsit. 4<sup>o</sup>. si Infidelem, Improbum, meretricis filium, perjurum, fidefragum, & mentitum aliquem dixerit, 5<sup>o</sup>. si nullo spectante, in itinere spoliat alterum. 6<sup>o</sup>. qui aliquid ad secretas aures dictum alteri, negat à se dictum esse. ut habetur in Corp. Jur. Ung. post Decreta Leopol. De hujus pēna, tam relatè ad *Tabulam Regiam*, quam in ordine ad *Comitatum*, dictum est. Tit. de *Infamia*.

7. *Incendiarii publici*, vivi cremantur; privati autem, ex præconcepta malitia, ignem teatris injicientes, & comburentes; in gravioribus, pari pēnā: in levioribus, mitiori quidem,

dem, sed tamen morte puniuntur. A. 11. 1723. Non admissentes verò, vel turbantes ( excepte casum legitime Repulsionis ) Judiciarias Executiones; præter pænam homagialem 50. marcarum gravis ponderis, etiam in refusione expensarum, & dannorum condemnantur. A. 31. 1681. qui confirmatur per A. 33. 1723. cætera pænarum genera, vide suis locis, uti de Birsagiis. Violentiis. Bonis Furum. Judicibus &c. Sæpius etiam pæna est ad arbitrium Judicium, diciturque arbitraria. Pæna deniq; Anabaptistarum, Christianum rebaptizantium, sunc 500. Imperial. A. 26. 1635.

## TITULUS XXX.

### De Præscriptionibus.

Num. i. **P**RÆSCRIPTIO, est termini, ad juridicam tum retentionem, tum reagquisitionem Bonorum, de jure statuti temporis completio. P. 1. T. 78. Unde vides, totam præscriptionis essentiam, Majorēisque, aut minorem temporis diuturnitatem, non aliunde, quam à legis placito dependere. Introducta est, ob Bonum Reipub. estque jam omni jure approbatā. Hinc non solūm in Foro externo; sed etiam in Foro interno, seu in conscientia, locum habet; ita ut, qui legitimè placitip

præscripsit, posteà non teneatur ad rem illam restituendam; quamvis resciat fuisse alienam. Quatuor conditiones ad legitimam præscriptionem communiter requiruntur. 1. *Possessio*, vel quasi *Possessio*. 2. *Bona fides* possidentis. 3. *Tempus à lege* definitum. 4. *Titulus* aliquis; ad transferendum alicujus rei Dominium, de se *habilis*. Tales *Tituli* sunt: *Emptio*, *Donatio*, *Successio*, *Legatio*, *Dos*, *Derelictum* &c. ubi tamen necesse non est, ut sit *legitimus*, & *verus* *Titulus*; seu ut sit *vera Donatio*, *vera Emptio* &c. sic enim citra *omnem præscriptionem*, Dominium talis rei acquireretur: sed sufficit, esse *Titulum coloratum*, seu *putatitiam emptio-*  
*nem*, *legationem* aut *successionem*. Ut si heres tradat alicui rem aliquam, putans eam illi, à Patre suo legatam esse; quamvis non sit *legata*: vel cùm succedit alicui, rem non suam possidenti, illamque deinde ut tuam possides.

2. *Bonam fidem*, & ad præscribendum necessariam, censetur habere ille, qui rem aliquam, ignorans esse alienam, possidet tanquam suam: aut saltē non, *velut alienam*. *Male fidei* verò Possessor dicitur is; qui rem, à se possessam, judicat esse alienam: vel se agere *illicitè*; illam, *pro sua*, possidente. Et hujusmodi Possessor nunquam præscribit, tam jure Canonico, quam municipali Hungariae: cùm Prolog.

Prolog. T. 9. expressè habeatur, quod nulla statuta valeant, contra jus Canonicum, in iis, que salutem animæ respiciunt. Possessionem vero malæ fidei, cum peccato conjunctam esse, ad eoque salutem animæ respicere, clarè definitur in Con. Gen. Lateran. IV. ubi sic habetur: quæ (præscriptio cum mala fide) absque mortali peccato, non potest observari: unde oportet, ut qui prescribit, in nulla temporis parte (ad præscriptionem requisiti) rei habeat conscientiam alienæ. hinc rectè monet Com. Syst. sicubi jura nostra, Possessorem malæ fidei præscribere innuant; pro malæ fidei, ponendum esse, vel certè intelligendum: illegitimo titulo possidentem. Anni enim, in mala fide transacti, præscriptionis capaces esse, nequaquam censendi sunt. Tum addit: præscriptionem allegans, non tenetur probare Titulum, sed solam possessionem: penes quam & bona fides in præscribente præsumitur, nisi mala esse probetur.

3. Ex his infertur 1<sup>mo</sup>. quod sicut præscriptio cum mala fide, inchoari non potest; ita neque continuari: sed illam statim interrumpi. 2<sup>do</sup>. Eum, qui sucedit in bonis alterius, posse præscriptionem ab altero inchoatam, continuare, ita ut quot ille annis Bonum aliquod, bona fide possedit; totidem successor, ad complendos præscriptionis annos, pro se numerare possit;

sit ; quasi ipse possedisset : poteritque præsumere ( nisi contrarium constet ) in illo fuisse bonam fidem. Imò *mala fides* Antecessoris , seu prioris Possessoris, saltem in ordine ad præscriptionem 32. annorum , nihil obest successori particulari ; qualis est *Emptor*, *Donatarius* &c. ut habet *Pichler* & *Huth*. 3tiò. quamvis generaliter ob sit bona fidei scientia juris alieni ; seu quando scis , te ad aliquid alteri faciendum , redendum , vel omittendum obligari ; potest tamen , pro *Foro externo* , fieri aliquod statutum , ad lites cavendas , & corrigendam Dominorum negligentiam ; ut , si intra certum tempus , *Creditor* solutionem non urs erit , vel is , cuius jura læduntur , non contradixerit ; deinde jus omne solutionis petendæ , aut alteri contradicendi amittat. ita *Pirrhing*. Notanda est hic lex in A. 37. 1729. ubi sancitur : ut penes literas *Chartabianales* , vel etiam formales *Obligatoriales* , quæ tempus 32. annorum Præscriptionis capacium , transcendissent ; procedi contra debitorem nou possit : nisi Actor edoceat , ante completionem 32. annorum , Interesse solutum esse , vel saltem prætensum , aut admonitionem sive judiciariam , sive amicabilem , vel insinuationem aliquam factam fuisse : idque seu relatè ad Debitorem , seu ejus successorem ; sive per Creditorem , sive per ejus successorem . Ubi

Ubi tamen ( *saltē pro Foro interno* ) totis illis  
 32. annis durare debet bona fides : secūs enim  
 non videntur illi anni esse capaces Præscriptio-  
 nis : quod tamen lex requirit. Confer cum di-  
 citis suprà. uti etiam de *Debitis*. Alia est do-  
 ctrina circa *debitum pñale*, vel onus (*servi-  
 tutem*) à te alteri præstandum : licet enim sci-  
 as, alterum habere jus, pñam ejusmodi, vel  
 onus à te exigendi ( ut per agrum, vel aream  
 tuam, illum v. g. ire permittas ) modò ta-  
 men *inculpabiliter* Judices, te ad solvendam  
 talem pñam, ante *exactionem*, non obligari  
 (uti nec ullus, ad urgendam sui punitionem,  
 obligatur) poteris præscribere ; ita ut adveni-  
 ente præscriptionis termino, non tenearis am-  
 plius talem pñam, vel onus subire. *Pirrhing.* In  
 his enim casibus habetur præticè *bona fides*. 4tò.  
 impeditur autem præscriptio, si Possessor, ante  
 completionem temporis requisiti, lis intendatur;  
 vel etiam absque litis motione; si litteræ pro-  
 hibitoriae, & protestatoriae, coram personis au-  
 thenticis, vel in locis Credilibus legitimè con-  
 fectæ, in judicio producantur, dixi: ante com-  
 pletionem temporis requisiti; nam post elapsos  
 legitimos præscriptionis annos, nec prohibitio  
 ulla, nec admonitio, aut litis motio quidquam  
 operatur. *P. I. T. 79. & Kitt. c. 4. q. 20.* Un-  
 de *Contradictiones, ac Prohibitiones renovari in-*  
fra.

*fra tempus præscriptionis* debent : ne ab una Contradictione, aut litis motione, usque ad alteram computando, tempus præscriptionis compleatur. P. 3. T. 15. & Kitt. loco cit. Unde patet, possessionem debere esse pacificam. i. e. Possessor non debet contradictione legitima, aut litis motione interpellari : secūs enim non habebit possessionem ad præscribendum re quisitam.

4. Quod *tempus præscriptionis* attinet, insistendo juri Civili, ex quo nostrum est ; aliud est breve, aliud longum, aliud longissimum, aliud immemoriale, Præscriptio brevis temporis dicitur ; quæ tribus, & pluribus, aut paucioribus infra decennium : longi temporis ; quæ decem, viginti, ( quæ duo tempora , dicuntur etiam ordinaria ) longissimi temporis ; quæ 30. 40. &c. annis completur. Præscriptio immemorialis temporis est ; cuius initium superat memoriam hominum nunc viventium : quod jure Civili, & Canonico, annum centesimò ; jure autem Ungarico, sexagesimò majorem comprehendit. Unde etiam testimonia hominum , ultra 60. annos non acceptantur. P. 1. T. 39. brevi tempore præscribuntur: res mobiles ; longo tempore vero, res immobiles ; inter absentes quidem 20. inter præsentes autem 10. annos complectente. ita jus Civil. & Canon.

5. In Ungaria præscriptio super Bonis, ac  
juribus possessionariis, Regalibus, ventum;  
Ecclasiatum, quadraginta; Nobilium, trigin-  
ta duorum, Civium verò olim duodecim, nunc  
instar Villanotum, anni unius, & diei curri-  
culis expletur. P. 1. T. 78. & P. 3. T. 15. in  
actibus quoque potentiaris, etiam inter Fra-  
tres indivisos; post 32. annos præcriptio incur-  
ritur. ibidem. Ubi notat Kitt. hanc præscriptio-  
nem, non tantum ad Bona, ac jura sele ex-  
tendere; sed etiam ad Processus Causarum, su-  
per iisdem Bonis motarum, aut movendarum;  
ita ut post 32. annos, litem de iis movere,  
aut motam suscitare, nemò valeat. c. 4. q. 24.  
contra, verò si quæ Bona non subsint præscri-  
ptioni, nec motiones causarum circa eadem  
Bona, suberunt præscriptioni; motiones enim  
causarum, ac processus, sequuntur naturam  
iporum Bonorum. Idem q. 21.

6. Cæterū nec Personæ omnes præscribere, nec  
res omnes præscribi possunt. Tales personæ sunt,  
quæ rem non possident suo nomine, sed alieno;  
ut est Debitor ex mutuo, Usufructuarius, Depo-  
sitarius, Pignoratarius &c. item omnes illi, qui  
sunt incapaces Domini acquirendi. Confer hæc  
cum iis, quæ de Debitis. ac de Impignoratio-  
nibus diximus. Similiter res aliquæ non possunt  
præscribi; uti sunt viae, & plateæ publicæ, res  
M sacra,

sacra, & ad cultum Dei immediatè deputata; uti *Calices*, *Templa*, *Cæmeteria* &c. item res furtivæ, vel vi occupatæ, nonnisi longissimo tempore præscribuntur, idque non ab ipso *Fure*, vel *Occupatore* violento; sed ab alio bona fidei Possessore: nisi priùs *vitiūm* purgatum sit, i. e. nisi res talis, ad suum Dominum redeat, vel ad bona fidei possessorem, à *Fure* primūm; deinde ab hoc ipso Possessore ad tertium perveniat. ita *Pirbing*, *Pichler*, *Kitt.* &c. hinc si rem furtivam à *Fure* ipso emas, vel dono accipias, cāmque bona fide per 32. annos possideas; tunc illam præscribis. Si verò tu rem eandem iterum alteri des; tunc is (modò uterque habueritis bonam fidem) etiam tempore breviori præscribet: sic enim jam tollitur vitiūm. Item præscriptio inter *Fratres indivisos*, relatè ad bona comunia, locum non habet: Sorores tamen, ubi in pacifico *Dominio* bonorum, jus fæmineum non concernentium, per 32. annos fuerint, præscribunt contra *Fratres*: quia istæ hac in parte pro *Extraneis* reputantur *P. I. T. 46. & 78. & Kitt. q. I. c. 4.* item in *Metis rectificandis*. *P. I. T. 78. & 85.* quantum nempe ad particulas quasdam, à membro principali, sive per exundationes, sive aliter avulsas: nam integræ possessiones, e. g. *Villa*, in alieno fundo, sine ullius contradictione ercent, &c.

ta, & pacifice possessa, præscriptionem admittit. *ibidem*. confer hæc cum dictis de *Divisione Bonorum*, item de *Metis*. Denique in *Dotalitiorum*, & *Quartalitiorum* solutione nunquam præscribitur. P. I. T. 103.

7. Postremò *Dormire* dicitur præscriptio, tempore hostilitatis intestinæ, vel contra personas, in captivitate apud Infideles detentas. P. I. T. 79. Quod *Kitt.* extendit etiam ad eos, qui *domi* capti detinentur. c. 4. q. 22. item contra eos, qui ex pietate, vel metu Principis, secuti sunt patrem in exilium. T. 79. cit. si tamen prius inchoata fuit præscriptio; tunc cessante hoc impedimento, iterum incipit curare; & cum tempore præcedente continuari. Demum contra eos, qui ob *etatem illegitimam*, vel alias legales causas; ut quia sunt *sub aliena potestate*, agere pro se non possunt. *Kitt.* c. 4. q. 22. ideo autem contra hos, aliósque hic relatos, dicitur *dormire* præscriptio: quia adversus illos, in his circumstantiis præscriptionē allegare nemo potest. *Jure Ungarico* dormivit præscriptio, præter alia tempora, novissimè à Festo *S. Georgii*, anni 1703. computando, usque ad idem Festum anni 1711, ut habetur A. 70. 1715.

# TITULUS XXXI.

## *De Privilegiis Variis.*

Num. 1. **P**RIVILEGIUM communiter definitur: quod sit lex privata, speciale aliquod beneficium, vel favorem, contra, aut præter jus concedens. ut cum à legitimo superiore, uni, vel pluribus personis particularibus, aut etiam Collegio, Communitate, Ecclesie, Oppido vel Villa, cum aliqua habilitate conceditur facultas, aliquid præter, vel contra legem communem agendi, aut omissendi. P. 2. T. 7. omnia autem privilegia, cum clausula: de cunctis, vel quorum notitia, Nos quis homo certificavit, vel assecuravit &c. annulantur. P. 2. T. 16.

a. Duplex autem est privilegium; nemp generale, & speciale. Generale est, quod Universitati, vel Collegio, ut Civitati, vel Capitulo conceditur: & illud est perpetuum. speciale vero est; quod personæ duntaxat datur: & istud cum persona extinguitur: nisi ad Hæredes extendatur: ut est privilegium Nobilitationis. P. 2. T. 7. clarius hæc ipsa Canonistæ, ac Civilistæ: qui privilegium dividunt in Reale, & Personale. Personale est, quod immediatè, ac directè confertur certæ personæ, ratione solius personæ: ut si quis vitâ comite, eximatur à communi

muni aliquo onere : & hoc *Verbōczius* vocat *speciale*, extinguiturque cum eo, cui datum est. *Reale* est, quod *rei*, à persona distincta, confertur immediate ; licet *mediate* redundet in utilitatem personæ, talem *rem* possidentis : sive demum illa *res*, sit *Fundus*, aut *Domus*, seu *Communitas*, aut *Dignitas*, vel *Officium* : & hoc *privilegium*, à *Verbōczio* dicitur *Generale*, estque *perpetuum* ; nempe quamdiu talis *res*, *officium*, vel *communitas* durat : nisi clare ad certum tempus, restringatur. Talia *privilegia* sunt *Civitatum*, *Academiarum*, *Officiorum* ; ut *Palatinatus*, *Prælatura*, *Judicatus* &c. *huc revocatur Jus Nundinarum*, *Vadorum*, *Telionarum* *exigendorum*, *Exemptionum* à *Decimis* &c. hæc enim *privilegia* ipsis *locis*, ac *rebus* inesse censentur ; cum quibus transeunt in eos, qui *talia loca*, *res*, vel *officia* obtinent, aut *talis Communitatis* *membra* fiunt. *AA. communiter.*

3. Unde videndum est, utrum *privilegium* dirigatur ad *Personam* ? an ad *Rem*, vel *Officium* personæ : quando enim *privilegium* confertur alicui, sub nomine *Dignitatis* ; ut *NN.* quæ *hoc*, aut *illud officium gerenti*, vel cum addito : *tibi*, aut *vobis*, ac pro tempore *constitutis* &c. vel si solùm *Officii nomen* ponatur ; Tunc enim est *privilegiū reale*, ac *perpetuum*, ita ut quisunque *illud officium* habeat, eodem

privilegiò fungi possit. Contrarium fit in *Personalis*, quô, si *persona privilegiata* moriatur, alter uti non potest. *AA.*

4. Inhærendo jam *Textibus Juris Ungarici*, sciendum est imò. generaliter omnium, & omnia Privilegia, per jus commune, seu per *Decretum tolli*, & invalidari; idque in illis casibus; in quibus expressa mentio, de aliquo Privilegio facta fuerit, Privilegium autem cui non fuerit expressè derogatum, per legem contrariam; non invalidatur, etiam stante lege contraria. *P. 2. T. 8.* vide de *Legibus. N. 4.* 2dò. potest Dupliciter considerari privilegium; nempe in quantum ex mera authoritate Principis, ritèque ac legitimè procedit: & in quantum non; sed in damnum aliorum vergit, vel alias constitutioni comuni contrariatur. *primum* (ad quod pertinet Bonorum caducorum Donatio, aut exemptione à Tricesimis &c.) semper observari debet: modò juribus aliorum manifestè non præjudicet. *P. 2. T. 9.* Neque enim Principi data est authoritas, legibus, communi Regni consensu firmatis, cum manifesto Regnolarum præjudicio, contraveniendi. *arg. P. 2. T. 3. & T. 11.* vide de *Legibus.* unde secundum privilegium; si in præjudicium alterius, jam prius privilegiati vergat; tunc nec est legitimum, nec validum. *Hinc* si prius Princeps tibi

tibi contulisset privilegium , exigendi à certa Civitate Tributum , illámque deinde sine tuo consensu libertaret à tali Tributo ; hujusmodi libertatio , ut pote tuo privilegio præjudicans , non teneret , censereturque Princeps non fuisse per talem Civitatem , bene informatus . P.

2. T. 9. Quare nec Jobbagyonem alicujus, Princeps nobilitare potest , cum præjudicio Domini terrestris ; ut dictum est verbo : de Jobbagyonibus . N. 3. nam Rex omnia possidet duxat Imperio ; singuli autem Dominio ita Seneca .

5. Privil gium duobus modis intelligitur juribus aliorum præjudicare. Imò. ratione temporis : quià priùs emanavit *privilegium* alterius contrarium ; quod non potest tolli , per posterius , etiam cum cum clausula derogatoria . P.

2. T. 10. Unde non habet , in materia privilegii , locum Brocardicon illud : priora per posteriora tolluntur : nili in casu , quô juri alieno per posterius *privilegium* , manifestè non præjudicatur. Indultum nempe à jure ( seu privato , seu communi ) beneficium , non est alicui , sine causa auferendum . Reg. Jur. 17. in 6. Quare siquod *privilegium* juribus tuis contrarium , per quempiam , à Principe impetratur ; debes solemniter , præsentim tempore publicationis , contradicere , ac protestari : ne racens , consensire vindearis . quamvis neglecta , tempore publi-

publicationis protestatio, possit etiam in loco authenticō interponi, extractis superinde litteris testimonialibus; vel denique tunc, cùm pri-  
mūm innotescit, præjudicium tibi privilegi-  
um emanatum esse. *praxis.* Ac siquidem vi ta-  
lis privilegii, ante cognitam judicialiter illius  
legitimitatē, non curatā tuā contradictione,  
aliquis s̄ in jus tuum ingerat; tunc si ad primam  
Comitis, vel Vice-Comitis admonitionem, non  
desistat, in communi talium jurium æstima-  
tione convincendus, & vi ejiciendus erit. *A.*  
*59. 1492. & A. 78. 1655.* Cæterūm si tu ha-  
beas antiquius privilegium; quantumcunque  
alter, recentiūs privilegiatus, protestetur;  
tu jure tuo mordicūs utere. Excipe casum, in  
quo aliquis ex Rustico, Nobilis factus esset: ta-  
lis enim ipso factō à quibusdam; ut à solutio-  
ne *Vestigalium* &c. eximitur. *P. 1. T. 6. 2do.* præ-  
judicat privilegium jurib⁹ alienis, *ratione lo-  
ci:* quia *Vestigalia* fluviorum, seu *Vada* con-  
cedi de jure non possunt ulli, nisi ea loca, in  
quibus conceduntur, ab aliorum Dominorum  
locis, pro quibus jam prius erant concessi;  
dissent ad minus uno millari. *P. 2. T. 10.* licet  
possint etiam propinquius concedi; si vel prio-  
ra jam dissident, vel illis, per *Vada* posteriora;  
notabile damnum non adferretur. Idem est de  
*Nundinis*, quo ad distantiam locorum; modò  
cōdem.

cōdēn die non célébrēntur Nundinæ posteriūs  
concessæ; quō célébrari solent prius concessæ,  
cūm manifesta harum destruptione. *ibidem.*

6. Ex his deducitur: non valere privilegia,  
sive contra jus privatum, sive contra leges Re-  
gni, & approbatam ejusdem consuetudinem, à  
Principe emanata: ut si cui Rex statutorias  
litteras concederet, *cum Gratia*, quod scilicet  
non obstante annuali revolutione jam transacta,  
Donationem aliquam, *Judices executioni deman-*  
*dare teneantur*, quia nempe istud legibus Regni  
hujus aperte contrariatur. Idem est, de iis pri-  
vilegiis, quæ aliquibus concederentur, idque  
sine Regni consensu; quod in sedibus *Judicia-*  
*riis Comitatum*, coram Comitibus Parochia-  
libus, Respondere ad cujusvis instantiā non te-  
neantur; vel juramentum sibi adjudicatum,  
in persona deponere non sint obligati. *P. 2. T.*  
*11. & A. 78. 1655.* ubi, non obstantibus  
hujusmodi illegitimis privilegiis, usque ad co-  
gnitionem *illegitimitatis eorumdem*, prioribus  
juribus insistendum declaratur. Hinc semper  
adjici solet, ac debet clausula: *salvo jure alieno*,  
*P. 2. T. 9. & A. cit.* quæ clausula, licet  
*omissa*, haberi tamen debet pro expressa: cùm  
semper presumendum sit de Principe; quod  
is plus facere non velit, quam legitime possit:  
saniorque est hæc argumentatio: *Princeps non*

potest facere hoc sine lesionē juris alicujus, aut legū patriarum, quas se servaturum sancte promisit: ergo non vult hoc facere efficaciter. Quām hæc: à Principe datum est privilegium, aut Rescriptum, ut hoc fiat: ergo vult efficaciter, potest que velle legitime, ut hoc fiat. Cūm certum sit, sèpè Principem malè informari, & ex mala Exponentium informatione, sèpè dari Rescripta manifestè illegitima, neque ad faciendum, aut omittendum aliquid, obligantia.

7. *Quer.* Quot modis amittatur privilegium, careatque firmitate? *R.* præter dictos hactenus modes; invalidatur privilegium, ac cessat imò. per usum contrarium. *P.* 2. *T.* 12. ut si habeas privilegium, non solvendi Decimas, aut Telonium; tu tamen, id exigenti, absque ullâ protestatione persolvas: id quod extendunt AA. ad omnia privilegia onerosa negativa (non item, si sint merè gratirosa, ut est privilegium non jejunandi) seu quæ sunt in præjudicium alterius; uti Exemptiones à solvendis Tributis Telonii: à Jurisdictione Ordinarii &c. Idem videtur censendum, saltem quoad aliquos esse etus, si sylva, aut pratum tuū sit exemptum à quibusdam aliorum usibus: tu tamen alios illis pacificè uti, scienter permittas: modò privilegium sit tale, cui quis etiam expressè renunciare possit: secùs enim, licet quis non con-

tradicat; nec tacitè censetur renunciare. Quot  
verò actus, quantumve temporis, hac in par-  
te requiratur? ferè arbitrio Judicum relinqu-  
tur: in multis sufficit usus annualis; in aliis  
etiam brevior. Vide de *Damnis*. 2dō. tollitur  
privilegium, per malum ejusdem usum, seu  
abusum: ut si habens *jus Gladii*, malefactore com-  
prehensum, non punias; sed eum pro pecunia,  
vel alio ex respectu, dimittas impunè. P. 2. T.  
12. huc refer *Excessus*, quos aliquis confidentia  
privilegii, patraret: quia meretur privilegium  
amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.  
*Ibidem*. 3tiō. per non usum, seu dum quis tem-  
pore debito, non utitur privilegio. ut si quis  
à Rege (vel *Palatino*) Bonum aliquod *Fiscale*  
dono accipiat, & se intra unum annum statui  
non curet. *Ibidem*. & P. 1. T. 32. & A. 48.  
1715. Idem sentiendum est, de aliis litteris  
privilegialibus, puta; *Nundinas*, aut *Vada* cui-  
piam indulgentibus: quæ pariter promulgari  
in Comitatu infra annum debent. P. 2. T. 12.  
Huc referunt communicer etiam litteras *Ar-  
males*, aut *Teloniales*. Privilegia pariter obsole-  
ta, quæ scilicet longo tempore non erant in  
usu, vim nullam habent: licet de novo con-  
firmarentur. A. 17. 1622. & A. 45. 1649. In  
his enim *Gratia Regis* nihil operatur. P. 2. T.  
11. Error tamen aliquis in processu talium litte-  
tarum,

garum, ex parte *Executorum* commissus, non  
vitiat *Donationes*, ipsam; modò, ubi cogni-  
tus fuerit, corrigatur. *ibidem*. 4to. perditur pri-  
vilegium, per *Crimen lese Majestatis*, aut *No-*  
*tam Infidelitatis*. 5to. si in alterius *enorme*  
*damnum* redundet. 6to. si judicialiter decida-  
tur, illud esse *nullius valoris*; aut *Sententia*  
*contra* illud, jam *exhibitum*, lata sit: secùs  
autem est, si *erroneè* privilegium *damnetur*;  
tunc enim per *Novum judicium* *resuscitatur*.  
7mo. per *expressam*, aut *tacitam* renunciatio-  
nem: id quod non habet locum in *privilegiis*,  
*Communitati*, aut *Officio* alicui concessis: his  
enim *privilegiis*, *nemo privatus* validè renun-  
ciat: neque *tacita renunciatio* fieri censetur,  
per quemvis *non usum*, sed *solum tunc*,  
quando quis *privilegio suo uti* poterat, atque  
etiam *debebat*, & tamen non est *usus*. 8vo.  
per *posterioris derogatorum prioris*; idque vel  
*in toto*, vel *tantum in parte*: quando videlicet  
*utrumque emanatum* est ad *eandem Personam*:  
vel *Communitatem*. 9no. perditur *privilegium*,  
per *expressam* *Principis concedentis revocatio-*  
*nem*: *cum nempe ex causis rationalibus clare*  
*insertis*, *privilegium à se concessum, revocat*: se-  
cūs enim nec *Principis revocatio* tenet, ita hæc  
quoad substantiam *P. 2. T. 12.* *Quibus adde*  
*generatim privilegia illa*, *quaes cu[m insolitis*  
*clamis*.

clausulis, vel à non habente potestate, emanant; vel non cum debito sigillo, aut subscriptione expedientur. vice de Cognition. Falsarum Litt. item de Litteris.

## TITULUS XXXII. *De Probationibus, & Præsumptionibus.*

Num. ii. **P**robatio, est Ostensio rei dubiae, & controversæ, Judici legitime factæ. Eaque fit per Testes, Scripturas, Conjecturas, Confessionem propriam, Iusjurandum, per Evidentiam facti, aut Præsumptionem &c. quæ exprimuntur his versiculis: Aspectus, sculptum (sigillum) Testis, Notoria scriptum.

Furans, Confessus, præsumptio, fama probabit. Ubi tamen observa: famam saltem per duos Testes constare debere; nec ad probandum sufficere; si quis dicat: Famam de hoc, aut illo facto esse, seu homines passim sic loqui. Nisi saltem duos determinatè nominet, à quibus id audivit. ita Communis. Alia Probatio est plena; alia semiplena. Plena est, quæ se sola, plenam fidem Judici facit; ac proinde ad ferendam sententiam sufficit: qualis ferè est oculata Revisio.

P. 2. T. 41. semiplena est, quæ aliquam; non tamen plenam fidem facit: adeoque non sufficit ad ferendam ordinariè sententiam. Talis proba resultat, si *unicus*, vel plures quidem, sed *singularis* Testes deponant; i. e. si diversi diversimode testantur: item si *instrumentum* sit tantum privatum; juramentum *suppletorium*: item fama, auditus simplex &c. AA. passim, & P. 2. T. 27.

2. Effectus plenæ probationis sunt 1. secundum illam ferenda sententia. 2. plenè probans intentionem suam, eam juramento firmare non debet. 3. Is, contra quem plenè probatum est, non permittitur juramento se purgare. Effectus *Semiplenæ* probationis sunt, 1. Dat locum juramento *Suppletorio*, per Actorem praestando. 2. Duæ *Semiplenæ*, faciunt unam plenam, idque in causis Civilibus non arduis. 3. Illa nunquam sufficit ad ferendam sententiam condemnatoriam; nisi in causis modicis, aut valde obscuris. vide *Canonistas*, & *Civilistas* h. t.

3. *Præsumptio*, quâ sæpiissimè utimur, est triplex. 1. *Violenta*, ut si suspectus, cum suspecta; nudus cum nuda ( si sint mali capaces) in eodem lecto reperiatur: tunc enim peccatum præsumitur. Et hæc præsumptio, nisi contrarium certò constet ) *Præsumptio enim cedit veritati*) sufficit ad alicujus *condemnationem* p.

nem, saltē extra pānam capitalem. Kitt. c. 6.  
q. 7. *Vivium* citans. 2. *Probabilis*; & hæc probat semiplenē tantūm: penes quam ad *Torturam* procedi potest. 3. *Levis*; quæ oritur ex levibus fundamentis, ut ex locutione levium personarum, &c. & hæc præsumptio nihil per se probat, idēque rejicienda est à Judice. Kitt. lec. cit.

4. Regulariter *Actori*, incumbit *proba* in omnibus causis; nisi fortè is *præsumptionem* aliquam pro se habeat: eōque non probante, *Reus* absolvendus. P. 2. 7. 32. Unde *Actor* semper paratus esse debet. P. 2. T. 84. Cæterū etiam *Reus* debet probare, siquid contra *Actorum* affirmet; non item, siquid sibi objectum, simpliciter neget: nisi ultrò in se recipiat onus probandi, vel juramentum eidem à Judice deferatur. quamvis interdum uterque *Reus*, & *Actor* est; in quantum uterque probat, & respondet. Potissima probationis species est *Oculata Revisio*, quâ utimur 1<sup>mo</sup>. In Bonis per aliū violenter occupatis. P. 2. T. 41. 2<sup>do</sup>. In causis *pignoratitiis*, Bona reluendo. 3<sup>to</sup>. In *danno infecto*; seu dum per *Judicem* monemus vicinum, ut ruinam ædificii sui prævertat, ne nobis inde aliquod *dannum* creetur; curamus que visitari tale ædificium. 4<sup>to</sup>. In Causis *Mentalibus*. 5<sup>to</sup>. Dum quæritur: an *vulnus* aliquod sit le-

sit lethale? 6tō. Dum per pecora aliena , nostra segetes , Vineæ &c. damnificantur. & hic, fere ut in Communi inquisitione, adhiberi solent Personæ juratæ , Testes , ac vicini. Vide de <sup>340</sup> ramentis Testibus.

## TITULUS XXXIII.

### De Procuratoribus, seu Advocatis.

Num. I. **P**rocurator , per Canonistas , & Civilistas , in genere , est ille , qui aliena negotia , mandatō Domini administrat , ejusdem personam gerendo ; Advocatos etiam toties , quoties necessum fuerit , constituendo ; & de jure revocando. Quem sic descriptum , Nos Plenipotentiarium vocamus : qui constitui potest vel generaliter ad omnes causas , vel specialiter ad denominatas in plenipotentialibus aliquas : idque corā locis Authenticis , vel Principe nostro , Judicibūsque Ordinariis , eorundēmque Protontariis. P. 2. T. 13. Ulad. D. 1. A. 97. imo per A. 35. 1723. etiam in sede , vel Congregatione Comitatūs , aut coram supremo , vel Vice-Comite cum Judice Nobilium , & Jurato , Archi-Episcopi verò , & Episcopi , nec non Comites

Comites perpetui; uti *Posoniensis*, *Temesiensis*  
 (non tamen alii, uti nec Episcopi Titulares.  
*com. syst.*) sub propriis sigillis possunt consti-  
 tuere. P. 2. T. 13. & licet *Procuratoris*, seu  
*Advocati* responsio, revocari possit: non ta-  
 men plenipotentiarii: cum ejus responsio ha-  
 beatur pro *propria* Principalis responsione; *pro-  
 pria* vero responsio revocari non possit. *Ulad. D.*  
*r. A. 15.* & *Kitt. c. 8. q. 23.*

2. *Procurator*, *Advocatus*, & *Causidicus*,  
 more nostro, idem significant; potestque con-  
 stitui vel litteratorie, eò, quō suprà dictum  
 est, modō; vel, à *Prälatis* quidem, *Baronibus*  
*Regni*, ac *perpetuis Comitibus*, etiam sub pro-  
 prio sigillo. P. 2. T. 13. vel per quemvis *Prin-  
 cipalem* etiam verbaliter, coram Judice causæ.  
 Quæ verbalis constitutio, olim durabat, in *Ta-  
 bularibus* quidem, pro eo tantum termino; in  
*Comitatu* autem per tres sedes *Judiciarias*. *Kitt.*  
*c. 10. 11. q. 7. 26.* qua in re *praxim* locorum  
 consule, litteratorie constitutus *Procurator*,  
 coram Judice allegativè dicit: comparere se-  
 tum litteris *Procuratoriis*; declarando *Judicem*,  
 vel locum authenticum, ubi expediæ sint:  
 & eas *Adversario* petenti producere tenetur.  
*A. 34. 1574.* Verbaliter autem constitutus, com-  
 paret, allegando: *Cum Nostris* (quod si absque  
 ullius *Mandato* comparuisse deprehedatur, con-

vincitur in Emenda linguae. Kitt. c. 10. Q. 25.  
Eadem pæna manet illos Procuratores, qui  
prorogationem indebitam pro suo Principali im-  
petrant. Math. Reg. D. 6. A. 7. vide quædam  
huc pertinentia, de Litteris. ac Birsagiis.

3. Procuratores, ad imitationem juris Ca-  
nonici, & Civilis ; olim sensu D. 5. Math.  
A. 7. juramentum Calumniæ deponere de-  
bebant : quod nempe scienter nullam causam  
injustam susciperent, neque ullo pacto cum  
parte adversa colludere vellent ; secùs facien-  
tes, in pena Aucariorum, seu perjurii, con-  
vincebantur. A. 27. 1567. sed hoc juramentum  
sublatum est per A. 34. 1574. At juxta A.  
38. 1723. iterum consuetum juramentum ( se-  
mel tamen duntaxat ) deponere priùs, quām  
Causas agant, obligantur. Vi cujus non tan-  
tum à collusione, cum Adversario, abstinere;  
sed neque causam susceptam sese deserturos;  
aut amicabilem impedituros, disertè jurant.  
Ubi licet nulla pæna sit posita ; si tamen hoc  
juramentum violarent, penam Aucariorum, sen-  
su P. 2. T. 30. haud effugere viderentur. Te-  
stimonium autem sui jurisjurandi, ab eo habe-  
re debent, ac solent litteratoriè, coram quo  
juramentum deposuere. Salariò denique per Ju-  
dices determinandò, contenti esse, nec de quo-  
ra litis, & parte acquisitionis, cum Causanti-  
bus con-

bus convénire , nec protulsa Allegationes , vel Exceptiones tribus plures , facere jubentur . A. 38. cit. & A. 43. 1729. Ubi nec Allegationes , ultra quadruplicam , extendere permittuntur .

4. Inter alia Juris remedia , est Revocatio Procuratoris : quod nihil est aliud , quam responsionem ejus , tanquam mendosam , in iudicio factam , retractare . P. 2. T. 79. Circa hoc , observanda sequentia . 1<sup>mo</sup>. hæc revocatio debet fieri per ipsum Principalem , aut ejus Plenipotentiarium : quem Procurator , se male respondisse animadvertisens , de hoc admonere debet 2<sup>dō</sup>. Revocatio fieri debet ( seu in , sive extra iudicium ) coram eodem Judice , vel homine , per ipsum deputato , coram quo responsio facta fuit . si autem causa est appellata , vel prior Judex officio decessit ; tunc coram Judice A. pellationis , vel qui priori successit . ibidem . 3<sup>to</sup>. In longis causarum processibus , ante ; in brevibus etiam post sententiam definitivam , fieri potest . P. 2. T. 80. confer A. 39. 1729. ubi in causis Curia Regia , siisque longæ litis , in ultimo earundem termino ; non nisi ante definitivam : in anterioribus vero terminis , etiam post definitivam : in causis vero brevis litis , cuiususcunque Fori , semper ante sententiam , fieri præcipitur . Excipe , quoad breves litis , ex-

sum, quō quis post sententiam quidem, Procuratorem revocaret; sed executionem sententiæ non impediret, verūm extra Dominium penes Novum ageret. A. 39. 1729. 4tō. in Tabula Regia, sub eodem judiciorum termino, semper cum minori onere, sex videlicet floren- peragitur. P. 2. T. 80. Eodem tamen die, quō sententiā fertur, sine ullo onere. ibidem. In Termino autem sequenti, cum majori onere; nempe 200. flor. nisi (ut habetur A. 39. cit.) aliud etiam Remedium Juris, executionem per se impediens, ipse revocans adhibeat; causaque non factō ipsiusmet Judicis, seu per consuetam Rejectam Judiciariam, in alium terminum extensa fuerit. 5tō. Ultimò Judiciorum die, non admittitur Revocatio; nisi in casu legitimo: ut si hāc ipsā die responsionem erroneam fecisset; vel Principalis, ad locum Judicij, prius comparere nequivisset. P. 2. T. 80. sub fin. 6tō. ut olim in Foro Proto-Notariali; sic hodie in Districtuali; & alio quovis Foro, per Principem, aut articulariter delegato: item in Foro Ecclesiastico Metropolit. cum onere 6. floren. 7timò. Coram quibusvis Judicibus Comitatensisbus, sive in sede, sive in Partibus, cum onere 3. duntaxat flor. P. 3. T. 6. & Kitt. c. 8. q. 27. quod usus extendit etiam ad Forum Ecclesiasticum Diocesanum, ac Civicum, sensu P. 3. T. 11. Nota

Nota hinc incidenter: ex Judicibus, eorumque Assessoribus cuiusvis Fori, Procuratores fieri in eadem causa haud possunt. Mat. Reg. D. 3.

A. 14.

s. Ut autem hoc *Remedium revocationis* utile sit, praeter depositionem oneris, ratio *Revocationis* dari debet: neque, revocatae Procuratoris allegationes, reiterari possunt; sed novae in continenti afferenda: nisi neglectis mediis depulso*riis*, Procurator præcipitanter se in cause meritum imisisset, & ideo revocaretur: tunc enim possent allegari eadem rationes meritoriae. A. 39. 1729. & Kitt. c. 8. q. 28. 2dō. Si *Revocatio* fiat in *Judicio*, tunc onus statim deponi debet; non item, si *extra Judicium*: sed satis est, illud *Judici*, & *Adversario* promittere. Hic tamen cautus sit, in recipiendo ad se dicto onere: quia deinde cogitur admittere revocationem Procuratoris. Kitt. c. 8. q. 22. 3tō. Ante finalē sententiam revocari potest in omnibus causis, in, & extra judicium, cum solito onere, & sine *Gratia Principis*, aut beneficio *Novi*. P. 2. T. 81. ita ut omnis processus, puta: *Inquisitionis*, *Revisionis* &c. in mendosa responsione Procuratoris fundatus, corruat: imò etiam *Fassio* Procuratoris *damnoſa*, sub onere 200. florē. revocatur. ibidem in fin. 4tō. Admittitur hæc *Revocatio*, etiam post

calumniam allegatam, ac productionem litterarum: sed in secundo casu, non secūs; quām si Causans personaliter, vel ejus Plenipotentiarius adsit. Revocatus verò potest causam continuare, vel ei alter substitui. A. 39. 1729. s. tō. Non admittitur hæc revocatio in quinque Casibus, & aliis per A. 10. 1723, ad actum majoris potentiae reductis. Ulad. D. 4. A. 13. A. 56. 1550. vide de Actibus potentiarioribz. Item de Judicibus.

## TITULUS XXXIV.

### De Prorogatione, aliisque Pupillorum Privilegiis.

Num. 1. **P**rorogationis nomine, veniunt Exceptiones pleraque Dilatoriarvi quarum causa, vel jam inchoata, condescendit, ac suspenditur; vel inchoari, ante certum terminum, seu tempus, legitimè non permittitur. Kitt. c. 4. q. 4. atq; 17. Gaudent Prorogatione. Imo. Novi Praelati Ecclesiarum, habentes Bona, à Capitulo, vel Conventu, divisa: ita ut per unum annum ab aditis Bonis computandum, ratione talium bonorum, ad litem cogi non possint. 2dō. Pupilli, usque ad ætatem legitimam; ita ut responde-

spondere infra hoc tempus, in Judicio non te-  
deantur. *P. 2. T. 50. & P. 1. T. 129.* His per  
*usum* annumerantur *Viduae*, per *unum annum*  
*luctus*. si autem Pupilli sint *legitima etatis*, dum  
Pater moritur; tunc relatè ad causas, bona  
possessionaria, & productionem litterarum con-  
cernentes (non item in aliis; quod *Kitt. c. 4.*  
*q. 17.* extendit ad omnes, *Prorogatione gauden-*  
*tes*) & vivente Patre motas, habent pariter  
*unum annum* Prorogationis. *P. 2. T. 50. 3tiò.*  
Eadem Prorogatione gaudent *Absentes*, usque  
ad redditum; utpote qui extra fines Regni, in  
bello, in servitiis, aliisque obsequiis Regis,  
vel Regni occupantur. *Mat. Reg. D. 2. A. 6.*  
*7. & Ulad. D. 1. & 2. A. 71. & 14.* uti & stu-  
diorum causâ absentes. *Ulad. D. 4. A. 1.* quæ  
omnia intelligenda; si litteræ *Prorogatoriaæ* à Re-  
ge, vel Palatino, superinde extractæ fuerint.  
*Stylus.* & *Kitt. c. 4. q. 24.* Qua in re, si quis fal-  
sam absentiaæ causam alleget; in *Emenda lingua*  
convincitur. *Mat. A. 6. & 7. eitt.* falsa autem  
causa esset, si nullum ex dictis Prorogationis  
titulis haberet. In ea dem verò causa, nec ob-  
dictos titulos pluries, quam semel datur. *Ulad.*  
*D. 6. A. 9.* vide de *Excusatione rationabili*. quam  
*Kitt. ad Prorogationem* reduceit.

2. De *Pupillis*, noto sequentia *imò*. Orpha-  
ni, durante eorum ætate pupillari, in causis

contra ipsos motis, respondere (saltē in propria persona) non tenentar: verūm productio-  
ne litterarum Revisionalium, ab omni lite, tem-  
pore ætatis illegitimæ mota, liberantur; dem-  
ptis causis, tempore Patris ipsorum inchoatis.

P. I. T. 129. Imò etiam si ex ignorantia respon-  
derent; nihil ipsis præjudicaret: in hujusmodi  
enim non alicet, quām per Tutorem respon-  
dere tenerentur. Ac si juramentum ipsis in  
persona adjudicaretur, illud ad primum legitimi-  
mæ ætatis annum, differri deberet, ibidem. T.  
30. 2dō. Pariter in casu, quo Statutio, & In-  
troductioni, vel Metali reambulationi aliquorum  
Bonorum, nomine Pupillorum quicunque  
contradixerit, ad Tabulam Regiam evocari  
possunt, ac per Tutores suos respondere com-  
pelluntur: cūm in hoc casu magis dicendi sint  
Actores, quām in causam Attracti. P. I. T.  
131.

Ex hac causali patet; Pupilos posse age-  
re; licet non possint in causam attrahi. Si ta-  
men Statutio, vel Reambulatio, per aliquos in  
Bonis, in quorum actuali pacifica possessione  
Orphani sunt, peragatur: tunc Contradictione,  
& Inhibitione uti, omnino debent: ne secūs ju-  
ribus priventur; respondere tamen hoc casu  
nec per se, nec per Procuratores, ante legitimi-  
mam ætatem tenentur. ibidem. 3tiō. Si quis  
hujusmodi Orphanos, titulō Actuum poten-  
tiario-

tiariorum (asserendo per ipsos, aut ex ipso-  
rum commissione eos patratos esse) in jus vocâ-  
vit; mox in homagio illorum convincetur.  
P. I. T. 32. Et quamdiu ad ætatem legitimam  
non pervenerint; nec cum, nec absque scitu  
Tutorum aliquid agere possunt. *ibidem.* Conser-  
hoc cum paulò ante dictis. 41d. *Ætates* porrò  
Pupillorum revidentur, per Judices Regni or-  
dinarios, eorūmque Protonotarios, aut in lo-  
eis Credibilibus: annotando in litteris *Revisio-*  
*nalibus* diem, annum, lacum, Comitatum, in  
quo: Item etatem, & nomen, atque Cognomen  
Pupilli, ejusque Parentum. P. I. T. 27. *Styl.*  
Quamquam *Jurisperiti* existiment, quod hæc  
*Revisio* etiam per Juratos Tabulæ Regiæ, tum  
in Comitatu, vel liberis Civitatibus, coram  
eius, vel eorum Magistratibus fieri possit. Vi-  
de de *Ætate Puerorum*, de *Fass.* Item de *Tutor.*  
&c. Quoad *præscriptionem* contra Pupilos, vi-  
de de *Division.* Bonar. N. 3.

Cum Kitanich, Exemptiones vocet nomine  
*Prorogationis*; Notandum hic: quod contra o-  
mnia *Mandata*, cum insolitis *Clausulis*; vel  
sine *clausula justificatoria* emanantia, Partes  
excipere possint. Mandata etiam simplicia *Re-*  
*executoria*, pro illis, qui in causa egerunt, nul-  
lius sunt vigoris. A. 30. 1581.

Pupilli. - - V. de Prorogat.

## TITULUS XXXV.

De Quartalitio, seu Quarta  
Puellari.

Num. I.

**Q**uartalitium, est jus possessorium, Puellis, & Mulieribus, de Bonis paternis Nobilitaribus hæreditariis, in signum Parentelæ, non perennali, sed redemptibili lege, & conditione deputatum. P. I. T. 88. solvitur proinde quarta puellaris de Bonis Avitis acquisitis, & solum sexum Masculinum concernentibus: nam de Emptitiis, vel quocunque titulô, etiam Feminas concernentibus, pueræ habent portiones cum fratribus æquales. ibidem. & P. I. T. 6, in fin, qualia autem Bona concernant utrumque sexum? vide de Bonis *Jus Famineum* &c.

2. Quarta igitur puellaris exolvitur hoc modo: universa Bona paterna ( non aliorum Fratrum condivisionalium ) simul cum omnibus pertinentiis, in quatuor partes æquales, segregantur: quarum quarta pars estimatur *communi estimatione*; & in tanta summa, vel pars Bonorum, datur jure redemptibili, vel ( res enim vænales non tenentur acceptare ) pecunia exolvitur, unâ & eâdem solutione, pro omnibus simul Filiabus, ex eodem Patre progenitis, ser-

tis, serviturā : hæreditate hujusmodi *quarta partis Bonorum*, Fratribus; vel aliis successoribus non extantibus, ipsi *Fisco Regio*, remanente. P. I. T. 89. & 10. potest tamen quævis Filiarum, suum quartalitium, seorsim petere: unde hæredes cauti esse debent, ne uni ( si plures extent pueræ ) totam quartam persolvant; sed illam in tot partes subdividant, quot pueræ prætendentes fuerint. *ibidem.* si *quarta Bonorum pars*, in sortem refusionis, pueris perpetuū ( sine præjudicio tamen legitimorum successorum ) inscribatur possidenda; tum illa sequetur utrumque sexum. P. I. T. 17. quid autem faciendum sit, si puerilla nubat homini impositionato? vide de *Donationibus N.* 3. *sub medium.*

3. *Dotalitium Matris*, & *Aviæ*, simul per unum, & eandem personam quæri non potest. nam si quæram *Quartalitium Matris meæ*, tunc *Dotalitium Aviæ* ( *Maternæ* ) & non Matris quærere debeo: si vero ipsa Mater mea quærat *quartalitium suum*; *Dotalitium Matris suæ*, & non *Aviæ* quærere debet. En *obscurum* P. I. T. 97. *Textum.* Cæterum tua ex Filia neptis, potest quærere ex iisdem tuis, tanquam Avi sui *Materni Bonis*, & *quartalitium Matris suæ*, & *Dotalitium Aviæ Maternæ*: ut patet consideranti. Et hoc est, quod in *Enchyridio Jur. Ung.* dicitur

dicitur : quartam , & Dotem de iisdem Bonis respectu diversarum personarum , simul queri posse. Quarcalitium secundariò quærens , columniam incurrit. P. 2. T. 70. Tametsi uni Filiarum extradetur ; hoc tamen non obstante , potest altera jure experiri ; annon Bona ejusmodi concernant utrumque Sexum. P. 1. T. 90. vide plura de *Divisione Bonorum*. Item de *Bonitatem sexum feminineum &c.*

*Reg. vel Pala. Homo V. de Test.*

## TITULUS XXXVI.

### *De Religiosis Ordinibus.*

Num. I.

**O**rdines Religiosorum *Camaldulensium, SS. Trinitatis, & Scholiarum Piarum* , tametsi ( ut *Constitutio loquitur* ) aliunde autoritate etiam Regia introduci , & stabiliri potuissent ; status , & Ordines Regni , in Ungariam receperunt , voto tamen , & sessione absque omni , eaque sub conditione : ut Bona Fundationalia pure sacerdotalia , & liberæ Fundatorum dispositioni subjecta , jure duntaxat pignoris habere queant ; neve in posterum sine necessitate , & absque Regis assensu ; Collegia , & Claustra quorumvis Re-

vis Religiosorum augerentur. A. 102. 1715. Omnes porrò Ordines Religiosi, hactenus recepti; pro Regis, & Regni incolumitate, singulis annis duodecim Missæ sacrificia facere re-  
deantur. A. 96. 1723. Eorumque superiores, Contractus Prædecessorum suorum, cum sacer-  
tularibus debitè initos, observare sint obligati.  
A. 9. 7. 1715. Confer hoc cum A. 65. 1498.  
& A. 51. 1559. Per hos enim Articulos, o-  
mnis Ecclesiasticorum cum sacerdotalibus, super  
Bonis immobilibus contractus cassatur: nemó-  
que superiorum in præjudicium successorum  
suum, quidquam de juribus Ecclesiæ, alteri  
concedere permittitur.

2. Religionem Bonorum capacem Ingredi-  
entes, ex Bonis Paterno, ac Materno-Avi-  
tis immobilibus, quinquaginta millium floren-  
tum summa præalentibus, consequenterque gra-  
datim descendendo, non plus, quam ex rata  
corundem portione provenientem Decimalita-  
tem, habere possint: ex Acquisitis autem,  
quantum Parentes voluerint. A. 71. 1715. Re-  
ligio Societatis JESU, unani Regis, ac Re-  
gnicolarum consensu, Articulariter recipitur,  
ac Civitate donatur A. 2. 1687. & cum aliun-  
de (ut habet Articulus) per Majestatem Re-  
giam, Regalibus ad Dietam invitati fuissent;  
tandem, quâ Bonorum, ad Abbatias, & Præ-  
positu-

posituras pertinentium , actuales Possessores ; collectivo nomine , duo *Nativi* tantum , ad sessionem cum voto , inter status & Ordines , admissi sunt . 1715. A. 73. Ecclesiasticis , & Religiosis Personis bona sacerdotalia non conferantur ; neque propriis pecuniis perennaliter emere , aut pro pignore , eadem habere possint ( conser cum A. 102. supra cit. ) nisi Regia Majestas dispensaret ; salvõ tamen jure alieno . sed neque sacerdtales Bona Ecclesiastica habent valeant . A. 55. 1498. A. 16. 1715. si quæ tamen eatenus hujusmodi Bona , Personæ Ecclesiasticæ , ac Religiosæ possedissent ; in eorundem possessione , donec per sacerdtales reluantur , permitti debent . ibidem .

*Remed. Jur.. V. de Inhi. &c.  
Repetitio Colonum. V. de Job.*

## TITULUS XXXVII.

### *De Repulsione , & Opposizione.*

Num. i. **R**epulsio Unum ex Remediis *Juris* dicas ; est Partis in causa triumphantis , per partem , in eadem succumbentem , ab executione sententia *Ius* dicas

diciariæ , violenta quædam propulsio. P. 2. T. 73. Ex quibus patet : *Repulsionem*, de qua hic sermo , tunc fieri duntaxat, cùm poñ latam Judicialiter sententiam , Executores ejusdem sententiæ , ab occupatione rei , aut Juris alicujus possessionarii , Adversario adjudicati , repelluntur. Alia est *Repulſio formalis* , seu propriæ dicta ; & locum habet solūm in causis longæ litis , in sola Curia Regia , & quidem non in ultimo , sed anterioribus tantum Terminis , & coram Judicibus Regni ordinariis discuti solitis , ac etiam per *Appellationem* eð deductis. A. 34. 1729. nam in Causis Inferiorum Tribunaliū , & coram Judicibus Pedaneis , non tam *Repulſio* , quam *Oppositiō* , seu *Repulſio* impropriè talis adhibetur. ibidem , &c. A. 33. 1729.

2. Si legitimam *Repulsionis* , aut *Oppositionis* rationem quis assignare queat ( modò fiat Formâ legitimâ ) nulli pænæ obnoxiatur. P. 2. T. 76. & A. 33. 1729. sufficiens porrò Executioni Judiciariæ , se opponendi est ratio ; 1<sup>o</sup>. si sententia lata sit , non præmissâ Citatione judicialica. 2<sup>o</sup>. si Executio extendatur ad Bona , tali Processui Judiciario non inclusa. 3<sup>o</sup>. si Jūdex in causa evidenter intra Dominium tantum transmissibili , *Appellatione non curatâ* , Executionem in Bonis Appellantis intentet. P. 2. T. 76. A. 33. 1729. Huc refer casum , quoquis id.

causa

causa non succumbens, repellit Executores ab occupatione alicujus Fundi, ad possessionem quidem Partis convictæ, radicaliter pertinenteris; sed hic & nunc à se legitimò aliquò titulò possessi: item cùm Pars triumphans, proprietatem alicujus possessionis obtinuit, quam tu habes titulò pignoris; poteris Triumphantem, priusquam pecuniam tibi deponat, repellere. P. 2. T. 76. Et his casibus, etiam post Appellatam, datur locus Repulsioni. arg. P. 2. T. 73. & A. 33. 1729. Repulso autem fieri debet in facie Boni controversi: quod si amplius fuerit, fiat in ejus capite. v. g. Arce, vel Castello, aut Curia Kitt. c. 5. q. 18. & stylus. Item coram Vicinis, & Commataneis. Ulad. D. 4. A. 19.

3. Modus autem, & Forma Repulsionis legitimæ est 1mò. ut non fiat cum Gentibus, & manibus violentis. 2dò. sed per solam Ensis, vel Gladii, seu integrè, seu non integrè evaginati uestensionem, alteriusve instrumenti; ut baculi, aut clavæ &c. factam manibus minacem exhibitionem, pérque alias minas, & Terrores. 3tiò. ut non fiat bis, aut sèpius in eadem causa. P. 2. T. 73. & 74. Ulad. D. 4. A. 19. A. 33. 34. 1729. Bona, contra legalem Repulsionem, occupans, atque intrans; in amissione eorumdem Bonorum Controversorum, convincitur.

tur. Ulad. D. 4. A. 19. & A. 33. 1729. in fin. imò etiam ad penum *Violentia agi posse videtus* arg. A. 31. 1681.

4. Pæna *Repulsionis*, juxta Formam debitam quidem, sed sine sufficienti ratione factæ, est una marca auri, florenos 72. faciens, inque duabus Judici, in tertia verò partibus, Parti Repulsæ cedēs. P. 2. T. 73. & A. 33. 1729. quod intellige ( sensu A. 33. cit. ) de *Repulsione formalis*, seu in causis Tabulam Regiam Directè, aut per *Appellationem*, conceruentibus: nam pæna *Oppositionis*, quæ est *Repulso. impropria*, sive in causis Inferiorum Tribunalium, sine sufficienti causa factæ, deponitur solùm in 36. florenis. Ritt. c. 5. q. 20. quæ pæna perinde inter Judices, ac Partem Repulsam dividenda. Si quis autem extra prædictos *Oppositionis* lictæ, aut *Repulsionis* modò prædicto, casus, Judicialiam Executionem non admittat, vel eandem turbet, aut Bona Judicialiter occupata, Propria authoritate reoccupet; in *penis*, & oneribus A. 31. 1681. illicò convincatur. A. 34. 1729. pæna autem, ibi declarata, est hæc: ut præter 200. florenos, etiam ad refusionem expensarum, ac frucluum, medio tempore ex iisdem Bonis perceptorum, condemetur. vide de *Violentiis*. N. 3. Pæna verò Repellentis cum Gentibus, aut violenter se opponentis; est a-

missio Bonorum controversorum. Ulad. D. 4.  
**A. 19.** & **A. 33.** 1729. Pæna demum secundaria Repulsionis olim erat Nota infidelitatis **P. 2. T. 75.** Nunc verò est Actus majoris potentia. **A. 10.** 1723. & 34. **A. 1729.** Ubi observa: Repulsionem non fieri secundariò, consequenter nec esse ob noxiā m̄ huic pænæ, quando eidem sententiae, ante reportatam executiōnis seriem, te opponis secundò, vel etiam sèpiùs; sed dum, post factam de primâ Repulsione relationem, iterum ex Sede, Tabula Regia, vel Districtuali, exmittuntur Executores, eosque secundò repellis. **P. 2. T. 75. §.**  
**Ex reportata serie secunda Repulsionis. & Kitt.**  
**e. 5. q. 20.** Eadem est autem pæna, seu Oppositiō fuerit plurimum, seu pauciorum nomine facta. **ibidem,** & **Kitt. e. 5. q. 20.** circa contradictiones, Inhibitiones, aut Oppositiones, in statutionibus fieri solitas; vide de Statutionibus.

Notandus est hic specialiter **Articulus 33.** 1729. ubi **Titulus 76.** **P. 2.** sic declaratur: quod nomine Repulsionis, quæ ibidem in casu non prahabite citationis &c. admittitur; non intelligatur formalis Repulsio, sed potius Oppositiō (ut jam vocatur) quæ, modò non fiat cum Gentibus, non in prædictis tantum casibus, sed etiam in aliis, uti suprà **N. 2.** allatis, ex vi naturalis defensæ, sine ulla pæna admittitur  
ac pro-

ac proinde *Articulus 11. 1630.* quoad casus dunt  
taxat illos, modò premisò Oppositionem admittentes; non autem respectu Repulsionis formalis intelligendus. Confer. cum *Titul.* de *Divisione Bonorum N. 5.* in *fin.* De *Catero* quoad me-  
dium Repulsionis, nec non quoad *Bona*, contra Repulsionem occupantes, *Pars 2. T. 74. 75. & Ulad. D. 4. A. 19.* observabuntur. ita ibi. Quòd si verò in causa, intra Dominium evidenter transmissibili, Appellatione non curatâ, Executio intentaretur, eaque per Oppositionem repelleretur (casum intellige respectu causarum Tabularum Districtualium, nec non Dalmatiae, Croatia, & Sclavonia) tunc quoad Ungariam, factum Oppositionis in Curia Regia; quoad praedicta Regna verò, in Banali decidi deberet. Ubi si *Opposito*, vel *Reoccupatio Bonorum* approbata non fuerit; candem attentans, in pænis *A. 31. 1681.* suprà relatis convincetur. Si autem post hujusmodi etiam convictionem, Repulsione utatur Pars convicta, tunc demum pænam majoris potentiae incurret. *A. 34. 1729.*  
*Revocat.* *Procur.* *V. de Procur*  
*Rex.* *V. de Authorit.* *Reg.* &c.  
*Rusticus.* *V. de Jobbagyon.* &c.

# TITULUS XXXVIII.

## De Sede Dominali.

Num. 1. **S**edes Dominalis, est Forum, seu Tribunal, in quo Dominus terrefris, vel ejos Officialis, aut Plenipotentiarius, tanquam Judex, jus & iustitiam administrat: quod extenditur ad omnes causas, etiam Criminales, & ad pænam mortis: modò in tali Dominio habeatur Ius Gladii. Ubi observa: per A. 2. 1638. & A. 22. 1647. non tolli simpliciter Forum Dominale; sed solùm corrigi quorundam Prælatorum, ac Magnatum errorem, qui Nobiles, quibus ipsi, vel Antecessores ipsorum, certos Fundos in gremio suorum Dominiorum, purè, vel inscriptio jure donârunt; cogebant ad juri coram se standum, cù productione instrumentorum suorum litteralium. Quod cùm legibus Regni, ac prærogativæ Nobilitari adversaretur; meritò sublatum est: salvâ in aliis, Fori Dominalis auctoritate. ut patet ex A. 18. 1687. Hinc non obstante auctoritate sedis Dominalis; si Nobilis resideat in medio alicujus Territorii Dominalis, & quidem in Fundo, olim ad idem Territorium pertinente; sed legitimè in talem Nobilem translato; tunc is non tenebitur producere Privilegia, & exemptiones circa talem fundum

dum in *Sede Dominali*: imò nec in Comitatu, sed in *Tabula Regia*: ut factum memini ratione juris educillandi, per Dominum terrestrem impetiti.

2. Quorum autem causæ, & quomodo in *Sede Dominali* discuti soleant, habes *Tit.* de *Impensione Judicii*. Excipiendi hinc sunt Rustici, & alii omnes Ignobiles, qui Personas Nobiles in Uxores duxerunt, inque earum Bonis Nobilitaribus degunt, atque inde violentias patrant. Hi enim non *Impensorio*, nempe co*iam* Domino terrestri; sed processu queruloso, seu coram V. Comite conveniendi sunt, & instar Nobilium, in 100. florenis convincendi, Executiōque de Bonis Uxorū peragenda. A. 70. 1659. Id quod etiam ad eorundem Filios, & successores, in Bonis Maternis existentes, extensum est. A. 18. 1681. qui si in Fundo colonicali habitent, & alicui Domino subsint, Judicium in *Sede Dominali* recipiunt, inque *bomagio* duntaxat suo, 40. florenos faciente, ut alii Ignobiles, propter violentias convincuntur. Si quis autem in tuo Fundo *Vineam*, *Pratum*, vel *Agrum*, erga *jus montanum*, aut *Terragium*, possidens, sit Nobilis, aut tibi non subjectus; & causa ad rehabinetionem vineæ, vel agri, estimatione mediante instituatur, vel de neglecta solutione *Terragii*, aut *Juris montani*

(quæ negligentia per Ulad. D. 1. A. 49. amissionem talis terræ, eō factō iofert) in se le tuae Dominali agatur; tunc *Judgium*, talem Possessorum, ad *Sedem Dominalem* citare solet, cum præfixione termini: quo adveniente, etiam ipse *Judgium* unā cum *Jurassore*, ad eandem *Sedem* comparet. Cæterū si *Judicium impendendum* sit, inter *Actorem*, & *Reum*, utrumque tuae Jurisdictioni subiectum; aut pro Parte *Fisci Dominalis*, contra aliquem ex suis subditis, tunc illud brevissimè Parte Utraque auditæ, expediri solet: condemnando scilicet convictum in pœna debita. *argumen.* P. 3. 25. *in fin.* Quamvis jam ordinariè aliquis ex *Judicibus Nobilium*, ac *Juratis*, adhiberi soleat. *Vide de Impensione Judicij.* Ruitorum vero Convictorum Domini, possunt *Nuvum impetrare* ad Comitatum. A. 17. 1635.

3. Et cām P. 3. 25. expressum sit, Ignobiles, ratione quorumvis negotiorum, in *Foro Dominali* primū convenieados esse; inde sit manifestum, *Impensionem Judicij*, etiam ad liquida debita activa, & passiva Colonorum, extendendam esse: ita ut ad adiunctionem Judicis Nobilium, Dominus terrestris *intra quindenam* (vel pro ratione loci, ut in Transylvania, intra Otiduum) satisfactionem impendere tentatur: sub pœna non impensionis. Quid autem

autem factò opus sit, si Colonum tuum, aut Famulum Ignobilem, Nobilis lædat, dictum est verbō : *de Fobbagyonibus. sub fin. Citatio ad Sedem Dominalem*, fieri solet per *Currentales litteras officialium Dominii*, de Pago ad Pgum transmittendas: vel si pauci sint in jus vocandi; per Hominem, e. g. *Hajdonem* dominalem, solum verbaliter. Ubi quis Nobilis, aut *Civis*, vel cuiusvis conditionis homo causam habeat contra tuum Rusticum, erga *Citationem* ejusmodi, per se, vel per alium comparere debet; nec *Fori incompetentiam* allegare potest: cùm Fundus, de quo agitur, supponatur esse rusticus; adeoque quodad meritum rei, concernat *Forum Dominate*: nam minus principale sequitur ad magis principale, &c argum. A. 20. 1649. Actor enim sequitur *Forum Rei*. Appellatio demum à *Sede Dominali*, in causis Comitatensibus, fit ad Comitatum; inde in *Curiam*: in aliis verò, directè ad curiam. P. 3. T. 25. & licet in aliis *Foris* negetur; in hoc tamen etiam à *Sententia interlocutoria*, potest ad Comitatum appellari. A. 41. 1729. quo casu Dominus terrestris, sub pena non impensionis, processum in originali, cum producatis, ad manus Judium ibidem præsentis, & in Comitatu relationem in sedria proxima facturi, resignare debet. ibidem. Ex quo iterum

patet, Judicem Nobilium interesse debere in celebratione Sedis Dominalis. Vide plura de *Impensione de Jobbagyionibus de Appellatione &c.*

**Sentent.** *V. de Cap. Sē. de Viol.*

**Servitor.** *V. de Job. de Exc. &c.*

**Sigilla.** *V. de Cog. fal. lit. de Fas.*

## TITULUS XXXIX.

### De Statutionibus.

**N**um. i. **S**tatutio est legitima introductio in Bona, per Regem donata. omnes enim Donationes Regia, quales sunt: 1. per defectum seminis. 2. per Notam, aut Crimen læsæ Majestatis. 3. nomine juris Regii latentis. 4. Titulo nova Donationis. 5. per Praefectionem filiarum in sexum masculinum. 6. per Adoptionem. 7. per acquisitionem Bonorum Fiscalium quoque titulo compellandam: omnes inquam hæ Donationes debent per Regium, aut Palatinalem Hominem, & Testimonia Capituli, vel Conventū, intra revolutionem unius anni ( à die emanatarum litterarum Donationalium computando) legitima statutio, seu introductione firmari, seū enim Donatio expirat, ac de novo iterum impe-

imperati debet. P. 1. T. 32. Confer hæc cum D. 1. Sigismundi Reg. ubi §. Præterea &c. sic habetur: quicunque fidelium nostrorum, in Dominum possessionum, ob Notam Infidelitatis aliquius, per Nos sibi donatarum infra anni revolutionem, hucusque aut ob metus, potentiamque sui Adversarii, vel de nostra Commissione, seu mandato, aut Prorogatione, se statui facere nequisset: per hoc nolumus perdi vires Donationarium. Quod alii in casu solius Notæ, locum habere putant; alii tantum ad Donationes, à Sigismundo Rege, occasione illius Tunultus factas, extendunt: instar Donationum, ab anno 1604. usque ad 1608. factarum; sensu A. 18. 1608. vide de *Donationibus in fin.*

2. Statutio itaque legitima habere debet sequentia: 1mo. ut fiat in facie loci, sive Bonorum donatorum. Nisi ob metum hostium, ibidem fieri non possit: tunc enim peragi potest ex loco viciniori, præsentibus V-Comite, & Judice Nobilium (siquidem hi in illo Comitatu fuerint, & Communium rerum administrationem habuerint) aliisque Nobilibus, & Ignobilibus. Illis vero non existentibus, saltem coram Nobilibus, & Ignobilibus publicè peragatur. 2dò. in proprio ditione, aut aliter oscultè, coram privatis Personis peracta non vallet: imò si hac ratione, in fraudem Heredis,

perageretur; tunc *Donatarius*, ad Tab. Reg. evocatus, in perennali Bonorum statutorum estimatione convincitur, & Bona Hæredi restituuntur; *Contradictione*, *Inhibitione*, *Repulsione* non obstantibus A. 45. 1563. 3to. ut non fiat in Bonis eorum, qui in *Commissionibus Regni*, vel *Regis*, aut in *Diatis* occupantur. A. 32. 1655. A. 135. 1647. & argum. Mat. Reg. D. 6. A. 6. & 7. 4to. Est etiam illegitima statutio, adeoque nulla; quæ facta est post indebitam, ac violentam Bonorum occupationem; ubi non obstante statutione, violentus occupator ejici jubetur. A. 35. 1543. 5to. Ut fiat *intra annum*, à *Dato Donationalium*, computandum. P. 1. 32. 6to. Ut aliter non fiat, quam *Vicinis*, & *Commetaneis* possessionum statuendarum, legitimè convocatis, eorumque *Nominibus*, in litteris superinde emanandis soriatim Conscriptis. A. 43. 1492. 7mo. *Secretarii*, & *Procuratores*, per quos alii supplicant pro collatione Bonorum, eadem pro se Bona impetrare, ac proinde in iis statui non possunt. A. 36. 1609. Id quod extenditur, etiam ad *Secretarios*, & *Notarios* Capitulorum, ac *Conventuum*: prout & ad *Procuratores*, in Bonis impetratis procurates. A. 32. 1655. 8vo. Statutio, si non sit inserta series *Donationis*, est invigorosa: nisi cum statutariis simul producantur

tur *Donationales*. P. 1. T. 34. Vide de litteris.  
plura

3. Siquis intra *Fatales* quindecim dies, à die statutionis, computando; per se, vel per alium, coram statutoribus, vel in *Capitulo*, aut alio loco competenti, non contradixerit: ex post facta ipsius contradictione, non valebit; sed jus suum, debet extra *Dominium* querere. A. 46. 1563. si tamen ob distantiam loci, vel alias difficultates (modò non ex crassa negligentia) neque per homines suos, neque per se aliquis contradicere potuisset; tunc (siquidem coram *Tab. Reg.* ostenderit, se in pacifica astu-ali eorum possessione eatenùs fuisse) statutio non tenet: sed Imperator, jus suum, extra dominium, querere debet. *ibidem.* quamvis A. 60. 1625. etiam sola loci distantia sufficiens esse dicatur: qui tamen est abolitus per A. 91. 1635. Hypothecarij, ratione summe suæ, Bonis impetratis investitæ, seu contradicunt, seu non; illam non perdunt. *com. syst.* Statutores per 3. dies expectant in loco statutionis: intra quos, siquis contradicat (sive suo, sive alieno nomine) annotatō contradictoris nomine, evocant eum ad *Tab. Reg.* pro danda contradictionis ratione. Collationes demum Bonorum Ecclesiasticorum, Prælatis factæ; non solent firmari statutione. *Kitt. Dubiet.* 16. sed per

per Commissarium Regium, ipsis simpliciter assi-  
gnantur. Confer hoc cum A. 60. 1625. Ubi  
de Impetrationibus, & statutionibus Bonorum  
Ecclesiasticorum, & sacerdotalium, lex promi-  
scue loquitur.

4. Porro contradictioni, & inhibitioni, in  
statutionibus opponi solitae, locus dari jubetur:  
A. 27. 1486. A. 47. 1563. & A. 130. 1647.  
Ac si quis eam non curatam, se in Bona ingereret,  
& ad primam Judiciariam admonitionem non  
remitteret; tunc capi, & inde ejici, ac in  
estimatione Communi eorundem Bonorum con-  
vinci deberet. Ulad. D. I. A. 59. Mat. Reg.  
D. 6. A. 22. quorum uterque confirmatus  
est per A. 59. 1647. & A. 91. 1689. Con-  
tradictor tamen intra annum jura sua producere,  
& si fuerit convictus, etiam fructus interim  
perceptos, restituere debet: quod si jura sua,  
in alienis esse manibus dixerit; dimidiò anno,  
ante termini præfigendi completionem, id ipsum  
Regi significandum erit. A. 15. 1481. Vide  
etiam A. 27. 1486. ubi sic habetur: Sed tamen,  
si contradictor de recenti, in possessionem illorum  
Bonorum se ingessit, & prius illorum Dominio-  
nem non habuit, infra integri anni spatium, à die  
datarum litterarum Donationalium, teneatur  
coram Rege, vel Palatino (nunc in Tab. Reg.)  
jura sua producere, & contradictionis rationem  
reddere.

reddere: alioquin elapsò anno ejiciatur, & frumentus perceptos solvat. Unde è contrario, si nempe illa Bona etiam priùs pacifice possedit; in dominio permittendus erit. *ibidem*, & *A. 47. 1563.* Inter Cives, 15. die, ratio danda contradictionis. *P. 3. T. 14.* vide de his plura *Titul. De Litteris. De Consensu Regio. De Fassionibus.* Donationes enim, & acquisitiones Bonorum, quæ consensu Regio indigent, etiam *Statutione* firmandæ videntur. *argum. P. 1. T. 63.*

## TITULUS XL.

### *De Successionibus.*

Num. 1. **S**uccessio, est jus apprehendendi Patrimonium morientis: illudque habent 1. Filii. 2. Filiae. 3. Agnati. 4. Cognati. 5. Mariti. 6. Uxores. 7. Adoptivi. 8. deficientibus aliis legitimis successoribus, *Fiscus.* Successor indubitus, absque omni iuris processu, potest Bona occupare. *P. 1. T. 67.* Indubitus autem Successor censetur quis esse, si nondum sint elapsi 60. anni, à facta inter Defunctum, vel ejus Cognatos, & Pratendentem, vel ejus itidem Antecessores, in talibus Bonis divisione. *ibidem.* Si verò successio esset dubia, tunc ordine juris procedendum, & intra annum, à morte Defuncti, probandum est;

est, quod successio talium Bonorum te concernat. *Ibidem.* & A. 25. 1715. de successione Domus Austriacæ, quoad sexum famineum, in Regnum; vide A. 1. & 2. 1723. Quod mutuam Conjugum successionem attinet; *Titulo*, de Dote. Quoad Fratres, Sorores, & Fiscum; reperies *Titulo de Divisione*. de Conservatore litt. de Bonis Aviticis. De Jure Fisci. de Gratia. De Bonis ius famineum &c. De Passionibus &c. Quibus adde imo. Si quis post hac Hæreditatem in Territorii Civitatum possidens Notam incurrat; tunc ejusdem Bona non in Civicum, sed Ficum Reginum devolventur. A. 87. 1647. 2dò. Universa Bona possessionaria, Divisione inter Fratres mediante, acquisita, & altero ipsorum Hæredibus carente, etiam post 100. 200. & plures annos, in cateros Frattes superstites devolvuntur: modo præmissam, in talibus Bonis, Progenitorum suorum condivisionalitatem, ac Genealogiam, litterali documento, vel humanis testimoniis verificant: sola enim sanguinis propago, & Fraternalis mutua divisio, efficit mutuam, & reciprocam Bonorum devolutionem. P. 1. 47. & 67. Frater tamen, Bona Fratris, sine Hærede decedentis, occupans; tenetur ejusdem Filias alere, & tandem nuptui tradere: Vidue item Dotalitium, ac res Paraphernales persolvere. T. 67. sit. Bona vero post divisione.

divisionem, per aliquem Fratrum, à Rege acquisita. *Fisco* applicantur. P. I. T. 47. De aliis Bonis vide Tit. De Divisione Bonorum N. 5. item de *Jure Fiscali*. &c.

2. Successiones *Rusticorum*, regulantur his modis. 1<sup>mo</sup>. Filii, & Filiae eorum, non emaritata, æqualiter in rebus paternis, seu acquisitis mobilibus, & immobilibus succedunt. P. 3. T. 29. In paterno, & Materno-aviticis vero, tam mobilibus, quam immobilibus, etiam emaritata succedunt, cum Fratribus æqualiter: de rebus autem paternis mobilibus, nil aliud Filiae emaritata habent, quam quod tempore emaritationis, juxta decentiam sui statū, acceperunt: reliquæ res omnes, in Fratres devolvuntur. *ibidem*. 2<sup>dō</sup>. Ea, quæ Rusticus, stante conjugio, acquisivit; *dimidia ex parte* pertinent ad uxorem: unde licet de sua, non tamen de uxoris superstitis portione, testari potest. Et si intestatus decebat, tota ipsi ex *conquisitis*, correspondens portio, in Uxorem devolvitur. *ibidem*. §. Verum si Pater &c. Et vicepsim, uxore, sine testamento, decedente; Portio ejus in Marium; argum. A. II. 1687. non item in *Propinquos Uxorius*: contra sensum P. I. T. 100. nisi quis velit, dictum *Articulum* II. non esse extendendum, ad successiones mutuas *conjugum Rusticanorum*. 3<sup>tiō</sup>. Uxor seunda

cunda Rustici , & Filii , ex illa nati , in pri-  
ris uxoris coacquisitis Bonis , non succedunt.  
*P. 3. T. 29. qd.* si persona rusticana ab intestato , ac sine Hæredibvs , & successoribus legi-  
mis decesserit , omnia ipsius Bona , tam mo-  
bilia , quam immobilia , in Dominum terre-  
strem ( sive is Hypothecarius , sive perennalis  
sit ) devolvuntur : ita tamen , ut de iisdem  
Bonis , Creditores talis Rustici , contentare , &  
sepulturam Defuncti , providere teneatur. *P.*  
*3. T. 30.* Id quod extendendum est , etiam ad  
casum , quo Rusticus in Notam , aut Crimen  
laesa Majestatis incidit. *A. 62. 1715.* & quidem  
Bona talium ( ut habet Com. Syst. ) in eum  
Dominum condescendunt , in cuius sunt Ter-  
ritorio. Vide plura hoc facientia verbô : *De  
Testamentis. Item de Divisione Ecnorum &c.*

3. Nobilium verò , & liberarum Personar-  
um , nulli proprietario Domino obligatarum ,  
& in fundis Rusticanis degentium , sive illæ  
absque semine , & ab intestato decedant , sive  
de Nota , aut crimine laesa Majestatis convin-  
cantur , omnes res mobiles , per eas acquisi-  
tæ , unâ cum pecunia , talibus Fundis investi-  
ta , ad rationes Fisci occupantur : facultate  
nihilominus dictos Fundos reluendi , penes  
Dominum terrestrem remanente. *A. 62. 1715.*  
Res verò , & Bona Plebanorum , sive testati ,  
sive

sive intestati decedant: Patroni, aut Prælati, pro se non occupent: sed Fratribus eorum superstitibus relinquunt. A. 10. 1557. vide Titulos suprà citatos. Item de Casibus, in quibus Pater Filium. &c.

## TITULUS XLI.

### De Taxis Variarum Litterarum.

Num. I. **T**Axa, non tardò significat certam Contributionum, pro publicis Regni, ac Regis necessitatibus, impositionem. Et hoc sensu dicitur etiam Dieta: nec nisi Diataliter (non item à singulis Comitatibus seorsim) determinari potest, sub pæna perjurii, & amissione Bonorum. Ulad. D. f. A. 1. & A. 8. 1715. Neque Taxam hujusmodi sine consensu Regni Princeps exigere potest. Mat. Reg. D. 3. A. 11. Si tamen res moram non patiatur; tunc satis erit, si Palatinus, Primas, Prælati, Barones, Tabula Regia, aliisque per modum Concursus adsint. A. 8. 1715. De quo vide intrà, Indiculum Diætæ Anni 1741.

2. Quod Taxas, seu pretia litterarum attinet; ea pro varietate Causarum, & Causantium,

um, ac *Fororum*, sunt pariter varia: quam item, Majestas Regia, modò provisoriò, Annò 1730. ternas *Classe*s constituit, & per omnes Comitatus publicari jussit. In *1ma classe* sunt causæ acquisitionum, 25000. floren. valorem non excedentium; nec non omnes causæ personales, aut circa jurisdictiones tantùm, & non circa Res estimabiles versari solitæ. In *2da verò classe*, inde usque ad valorem 50000. floren. In *3tia* demum ultra valorem 50000. floren. indefinitè. Et quidem

3. In *Tabula Regia*, ubi hæc prime instantiæ Judex est: pro Expeditione Processuum *1ma classis* desumuntur à sigillo Judiciali Regio, floreni 12. Proto-Notario referenti, dantur floreni 25. ejus scribis floreni 8. Quæ Taxa, pro Causis secundæ classis, duplicatur: pro *3tiæ* vero *Classis triplicatur*. In causis autem Transmissionalibus, nempe ex Tabulis *Districtualibus*, aut ex Comitatibus eò appellatis, pro Processibus *1me classis*, solvuntur pro prædicto sigillo, floreni 4. Proto-Notario referenti, floreni 6. Juratis floreni 2. Quæ Taxa iterum in causis *2de classis*, duplicatur: in *3tiæ* vero triplicatur.

4. Diurnum MM. Proto-Notariorum, judicialiter emissorum, in toto, etiam cum scribis, cum victu, & commoditate; floreni 4. absque victu, & commoditate floreni 6. Diurnum exmissi

exmissi Notarii Tabulæ, sine Victu, & commoditate; floreni 2. cum victu, & commoditate, florenus 1.

5. Quoad Tabulam Districtualem, manente eadem causarum classificatione, in causis 1ma classis, pro Expeditione totius Procelsum, nullō habitō inter Actorem, & Incattum differimine, & unā cum inclusa Juratorum portione, solvuntur 24. floreni, quæ Taxa pro 2da classe duplicatur: pro 3ta triplicatur. Diurnum Assessorum exmissorum, in toto unā cum scribis, absque victu, & commoditate; floreni 3. cum victu & commoditate; floreni 2. Diurnum Juratorum, ad exhibitionem Certificatoriarum, adhibitorum; sine victu, & commoditate florenus 1. Denar. 50. cum victu, & commoditate denar. 75.

6. Quoad Capitula, & Conventus: Diurnum personarum Capitularium, & Conventualium; nec non Hominum Regiorum, & Palatinalium; in toto, etiam cum scribis, præter intentionem, & commoditatem, floreni 2. absque victu, & commoditate, floreni 3.

7. Quoad Comitatus: pro causis infra valorem 3000. floren. & coram V-Comite ventribus: pro illo floreni 9. pro Judium floreni 5. pro Jurato Assessore floreni 3. Quando autem ad Sedriam pro Relatione, vel per viam ap-

pellationis, causa deducitur; V-Comiti à sigillo florenus unus. Cruciferi 30. Ultra valorem autem 3000. V-Comiti floreni 12. Judici Nobilium floreni 6. Jurato Assessori floreni 3. In sede Judiciaria Comitatūs, à sigillo V-Comiti florenus 1. Notario 2. solventur. In causis autem, in quibus usque ad summam indefinitam V-Comites procedere possunt: si acquisitionis summam 25000. floren. superet; tunc hæc Taxa duplicatur. In Processibus coram Judicium, In Acquisitionibus infra valorem 500. floren. pro Judice Nobilium floreni 6. Jurato Assessori floreni 3. Quando verò ad sedem Comitatūs deducuntur; à sigillo V-Comiti floren. 1. Porro si acquisitionis 500. florenos exceedat; pro Judicium floreni 10. pro Jurato Assessore, floreni 5. In Sedria autem Comitatūs, à sigillo V-Comiti florenus 1. Notario florenus 1. Cruciferi 30. persolvendi sunt..

8. A Certificatoriis V-Comiticum, aut Judicium Nobilium, seu cum, seu absque inclusione Parium denar. 12. à Commissione V-Comitis judiciaria; denar. 12. à Litteris Procuratoris, aut Plenipotentialibus, vel simul utrisque; aut à Testimonialibus super Inhibitione, Protectione, Contradictione, vel Admonitione, in Comitatibus una cum scribente; denar. 50. ab Expeditionibus penes Requisitoria, extradatis, & qui-

& quibuscumque tandem *Transumptis*, à singulo folio, in una facie *lineas*, ad minus 34. charactere ordinario, non laxo, commodè legibili scriptas, continentem; unā cum *Taxa* scribentis, *denar.* 25. A pecuniis denique (quod sit, cùm quis pecuniam, sibi pro *reluitione Bonorum* oblatam, etiam erga admonitionem judicariam, levare recusat) ad manus *Judicium Comitatensium*, vel *capitularium* depositis; cedit ipsis *vigesima pars*: cum ejus scilicet danno, qui legitimè admonitus, talem pecuniam levare noluit. *A. 74. 1609.* Unde abrogatus, quoad *Ungariam*, videtur *A. 75. Mat. Reg. D. 6. vi* cuius *Depositarii* hujusmodi *Judices*, & *Capitulares*, habebant *Decimam*, & *Nonam* partem pecuniae, sic apud se depositæ.

9. In causis, & *Negotiis Pauperum*, quando aut notitiâ publicâ, aut ad mentem *A. 51. 1563.* V-Comitum litteris testimonialibus, tales esse probantur; quævis scripturæ, à quo-cunque Judice, vel etiam *loco credibili*, erga solam scriptoris portionem exolvendam, in reliquo gratis expediantur. *ibidem.*

10. Cæterum *Taxas* hujusmodi, recens constitutas, fusè refert *Tyroc. Fur. Ung. P. 2. ad T. 21.* *Antiquas* autem, vide *Sigis. Reg. D. 6. A. 10. Ulad. D. 1. A. 39. & A. 72. 1609. &c.* neque enim compendii ratio patitur, eas huc

transferre. Jure Transylvanicō, pro Attestatoria simplici, in Transyl. denar. 24. In Partibus floren. unus. Pro Attestatoriacum declaratione, denar. 24. pro Procuratoria simplici, tam in Transyl. quam in Partibus, denar. 24. pro Procuratoria ad Rescriptum, florenus 1. Procuratoria ad instantiam, denar. 24. pro labore, Testimoniis Capitulorum, & scribarum, aut Nobilium; ad singulum diem, pro singulis personis denar. 12. præter victualia. Pro Evocatoriis vel admonitoriis, floren. 1. pro Judicialibus denar. 12. pro Novo Judicio, sive simplici, sive cum Inhibitione, florenus 1. pro Novo cum Gratia, floreni 12. pro Inhibitione, florenus 1. pro Repe-titoria Jobbagyonis, florenus 1. solvitur. Reliquas litterarum, quoad Transylvaniā, Taxas, vide in Approbatis P. 4. in fin.

Ne tamen Lector indignetur; de Taxis Majoris Cancellarie, strictim noto sequentia: Pro litteris Gratiōsis, per Donationem qualiter-cunque factis, pro quolibet Colono Denarii 50. pro Donationalibus unius Curiæ, floren. 12. plurium, floren. 25. Castrī, floren. 50. plurium castrorum, floren. 100. Pro Inscriptionalibus, Impignoratitiis, pro Colono denar. 25. Confirmatione priorum Donationalium, Consensualibus, Adoptionalibus, Mutuæ successionis, pro Colono denar. 50. Præfctionalibus, Gra-tia cas-

tia capitis, Baro florenos 200. Armalista florenos 20. Possessionatus, 50. Magnas, 100. salvi conductus, Baro floren. 12. Nobilis floren. 3. pro Donatione Curiæ desertæ, floren. 6. Pro litteris Nundinalibus, Expectatoriis, Gratia Adulterii, Brachio Regali, Novo judicio extra dominium, sub secreto sigillo, Teloniis, Vado, Patibularibus, Canonicatûs, omnes floren. 12. Pro litteris, pro supremi Comitis officio, Generalis, Episcopatûs titularis, Præpositi majoris, floren. 50. Consiliariatûs, floren. 25. Episcopatûs, & Abbatix, floren. 100. Pro Intraductoriis floren. 1. pro officio Equitis aurati, floren. 12. A. 73. 1609. Aureæ Bullæ, Taxa duplex.

## TITULUS XLII.

### De Teloniis, ac Tricesimis.

Num. 1. **T**eloniorum, Vadorum, ac Nundinarum hebdomadalium, & Generalium collatio, est penes Regem; solētque in forma Privilegii obtineri: ac proinde intra annum publicari in Comitatu debet. P. 2. T. 12. quando verò, & quibus sub conditionibus hæc collatio valeat, vide suprà de Privilegiis. Porrò solutioni Teloniorum, ac Tricesimarum obnoxii sunt o-

de emergens, refundere jubentur. *Sigis.* D.  
6. A. 23.

2. Nobiles igitur Regni Hungariæ, Partiumque eidem annexarum, ac cæteri suprà relati, non solum quoad se, verùm etiam quoad Juramenta, resque universas, ita à Teloniis, Tricesimis ubique exempti sunt: ut quidquid ex propriis *Allodiaturis* proveniret, illud quocunque, etiam per subditos, intra, & extra Regnum, liberè, deferri, aut vendi; A. 17. 1569. A. 83. 1655. Res item omnigenæ, licet coemptæ, in proprios usus, in Regnum inferri, & efferri possint. A. 48. 1542. & A. 25. 1514. A. 14. 1723. Id quod, in vicinis pariter Provinciis, observari jubetur. A. 62. 1659. Extenditurque passim hæc libertas ad Cives liberarum Civitatum, & Oppidorum privilegiatorum. Siquis autem *Exemptorum*, ultra necessarium usum domesticum, vel questus gratiâ, vel alicujus lucri causâ, res ejusmodi induxit, nec *Tricesima* solverit; illæ confiscantur defacto. A. 34. 1599. De *Vinis*, licet illa sint *allodialia*, seu ex propriis possessionibus provenientia; si tamen questus gratiâ, è Regno educantur: *Tricesima* solvi debet. A. 49. 1638. nbi licet *Rubrica* sonet de omnibus promiscuè *Allodialibus*; *Textus* tamen juris, folius vini facit mentionem: unde non vide-

mnes illi , qui *lege* , *Privilegio* , aut *confuetudine approbata* , *exempti* non sunt. *Sacerdotes* (intellige Personas Ecclesiasticas, ac Religiosas). *Scholares item* , & *Nobiles* , ab omnibus *Teleniatorum* exactiōibus immunes sunt. *P. I. T.*  
*9. A. 10. 1458. A. 35. 1498.* juxta hunc ,  
 si *laesus* requirat Dominum *Telonii* ; is *duplum*  
 tenetur reddere querulanti , sub pœna 2. *Mar-*  
*tarum*. Idem est quoād Tricesimam : ut patet  
 luculenter etiam ex *Ulad. D. 3. A. 35. A. 6.*  
*1575. &c.* Unde in *Teleniatores* ac *Tricesima-*  
*tore*s , qui *Exemptos* vexant , variæ pœnæ ,  
 in variis juris Textibus statutæ sunt. *Imo* . qui-  
 dem , ut *Teleniator* quæstoribus non credens ,  
 eorūmque currum , aut res perquirens , nee  
 tamen *prater Merces specificatas* , quidquam  
 inveniens ; aureum ipsis pendat. *Sigis. D. 2.*  
*A. 15. 2do.* ut *Teleniator* , quemcunque , ex-  
 tra metas possessionis , in qua Tributum exigi-  
 tur , molestans ; *Teloniū amittat* : idem est ,  
 si plus justo exigat. *Ulad. D. 1. A. 87. & D.*  
*3. A. 36. Mat. Reg. D. 2. A. 15.* Ac si quod ,  
 occasione talis vexæ , ipsis *Teleniatoribus* ma-  
 lum evenerit ; sibi adscribant. *Idem D. 4. A.*  
*26. 3to.* *Novellis* verò legibus statutum est , ut  
 pœna violentiæ , in ipsis desumi possit. *A. 46.*  
*1649.* vide de *Foro Competente. N. 3.* Pontes  
 verò , ac vias non reparantes , damnum in-  
 de emer-

tur ad alia extendendus. A Re autem , quæ sit infra valorem *unius floreni* ; uti sunt *nulli* , *anseres* , & id genus minuta , nemo omnino Tricesimam solvat *A. 18. 1553. A. 29. 1498.* Quō locō etiam habetur , quōd pro rebus , extra Regnum educendis debeatur Tricesima. Telonia dēmūn *sicca* , ubique tollenda esse ; neque *Judeo Teloniatori* , aut in loco , ubi per pontem non transitur , solvendum quidquam esse , sancitum est novissimè *A. 15. 1715.* Item *A. 15. 1723.* ubi sic habetur ; ab iis , qui à Teloniorum solutione immunes sunt , nulla prorsus Taxa ullibi exigatur : à Proficiscentium verò pecoribus , in communibus pascuis , *duo denarii* à singulo pecore *dietim* , etiam tempore Nundinarum persolvantur : à cujusmodi pecoribus , etiam ad loca Nundinarum depelli solitis , vel propter glaciem , aut siccitatem , per pontes , aut aggeres non transeuntibus , vel à peditibus itinerantibus , nullibi Telonium , sub pæna violentiæ desumatur. Nobiles autem , seu *questum* exercentes , seu non , & Ignobiles , à Telonii solutione immunes , ad accipiendo à Teloniatore pro pecunia potum in Teloniis , sub *eadem pena* , non cogantur. *Contrabanda* pariter per Teloniatores facta , ante cognitionem causæ per Dominos terrestres primò instituendam ; sub *eadem pena* , & damno-  
rum

rum, ac expensarum refusione, non distrahan-  
tur. Ita A. 15. 1723. cit. quem vide.

3. Pæna verò Defraudatorum Tricesimæ, est Confiscatio Mercium, ac rerum. A. 35. 1498. A. 30. 1625. &c. quæ pænæ etiam ad Milites, quæstum exercentes, extenditur. A. 60. 1659. Defraudatores autem reputantur se-  
quentes: 1mò. Qui diversas res, sub colore usus domestici inducunt, & suis colonis deinde pretiō Vendunt. 2dò. Qui animalia, nondum adulta, vel macilenta coēmunt, eaque aliquan-  
dia intertenent; ac tū pro fætibus Domi genitis,  
vendunt. A. 44. 1559. A. 17. 1569. 3tiò. Quan-  
do Exempti à solutione; non Exemptos, vel  
eorum res, absque solutione Tributi, abduce-  
re volunt; quo casu uterque amittit res suas.  
*Ulad. D. 3.* A. 35. demum qui animalia, Tri-  
cesimis obnoxia, furtim, vel violenter sine  
solutione traduceret; in æstimatione eorundem  
convincatur. *Ulad. D. 3.* A. 29. Hæc rerum  
confiscatio, etiam ad privatorum Teloniorum  
Defraudatores, extenditur. sensu *Ulad. D. 3.*  
A. 35. in fin. ac A. 15. 1723. Ut autem scia-  
tur: an res sint à Tricesimis, & Teloniis ex-  
emptæ, Domini, ac Nobiles jubentur Testi-  
moniales super iis litteras viatoribus dare. A.  
34. 1599. Cives verò, à Civitatibus accipiant.  
A. 59. 1663. Observa hic universaliter; leges  
prohi-

liberæ dispositioni subjectis ; Testamento a Testatore , qui Testandi habet activitatem ( & hæc vocatur solemnitas intrinseca Testamenti ) etiam extra loca authentica ; ut sunt : Capitula, Conventus, Judices Regni Ordinarii, Magistrisque Protonotarii , & non eorum Secretarit , nec Jurati Notarii, Condita ab ipsomet Testatore, & à quinque per Testatorem requisitis, ac insimul præsentibus , Nobilitari tamen , aut equipollenti prærogativa gaudentibus , vel in casu necessitatis , aliis etiam honestæ conditionis Testibus , subscriptione , & sigillis corroborata , legitimum sortiantur vigorem : Testatoris verò , scriptura Ignari , vices , & locum suæ subscriptionis , ac obfigillationis , sextus itidem requisitus , ac præsens Testis suppleat : omnisque semper fraus , & in Testatorem usurpari solitæ dolosæ circumventiones , sub pena invigorositatis , coram Foro spirituali , prout ante hac , Vigore A. 15. 1647. sufficienter remonstranda , absint , & præcauta habeantur. Neque præterea Heredis institutio , amodo etiam imposterum de substantia Testamenti requiratur. præmissæ tamen solemnitates ( quæ vocatur extrinsecæ ) in privilegiatis Testamentis ; utpote : Legatis piis , Item Militaribus , ita & inter Liberos , nec non tempore Pestis condendis : non requirentur ; sed vel propria Testantis manu scripta , & subscripta , vel etiam

prohibentes, sine Tricesima res efferri extra Regnum; intelligendas videri de *rebus coembris*, & foris vendendis: non autem de *Alodialibus* ( præter vinum ) etiam vendendis: ut sonare videtur A. 34. 1599. Collatus cum A. 49. 1638. aliisque suprà citatis. Huc refer etiam *Nauium*, in transitu per aquas dari solitum.

## TITULUS XLIII.

### *De Testamentis.*

Num. 1. **T**estamentum, est legitima ultima voluntatis declaratio de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. Ita quoad rem Legistæ plerique. Continet autem hæc Testamenti descriptio Testamenta tam scripta, quam non scripta, seu *Nuncupativa*; *solemnia*. Hac in materia jejunæ erant diu Hungarorum leges: eò quod omnia Regnicolarum Testamenta, juxta *Canonicas*, *Civilesque* duntaxat *sanctiones* revideri, ac discuti solerent. ut habetur A. 22. 1715. quas cùm plurimi ignorarent, facile non raro evenit; ut Testatores ipsi intentionibus suis frustrarentur. Hinc ad evitandum hujusmodi præjudicium, ibidem conclusum est his verbis:

2. Ut amodò imposterum, in Bonis, & rebus libera

nuncupativa, coram duobus Testibus sufficient. Ad codicilli verò solemnitatem, tres Testes sufficiant. Liberæ, ac Regiæ civitates penes usum suum remaneant: nisi quod imposterum Testatori Testamentum prælegi, & ab eo coram Testibus via voce afferi debeat, eam ultimam esse voluntatem suam. Publicatione, & respectu Partium interessatarum communicatione, non nisi post mortem Testatoris, quamprimum expediendis. Et hoc ipsum etiam de Comitatibus, ubi U-Comes, aut Judec-Nobilium cum Jurato Assessore fuerint emissi, observandum. Hic autem modus condendi Testamenta, solum ad casus futuros se extendit. Salvo respectu Nobilium, Articulo 46. 1655. permanente. Ita statuitur A. 27. 1715. cit. v. de Civit. N. 5. &c.

3. Ex his patet immo. non amplius esse necessarios septem (ut olim ex consuetudine, & sensu A. 46. 1655.) sed quinque Testes sufficere: 2dò. In Testamentis Nobilium, Testes debere esse Nobiles, vel talitem Nobili prærogativa gaudentes, uti sunt Ecclesiastici, Officiales DD. Prælatorum, Magnatum, ac Nobilium Regni, qui sensu P. 2. T. 27. quoad Testimonium, æquiparantur Nobilibus. 3tiò. In horum autem defectu, sufficere quouscunque honestæ Conditionis, & alias ad Testificandum Idoneos. 4tio. Ut Dispositio Testamentaria, subsertione

ptione Testium, ac sigillis roboretur. 5<sup>mō</sup>. Ut Testes sint praesentes, & quidem simul, ac pro hoc actu requisiti. 6<sup>mō</sup>. Ut ipse Testator, sua manu subscriptibat: si verò scribere nesciat, vel non possit, non sufficere amplius (ut olim) *signum Crucis cucere*, *sexius Testis*, pariter *praesens*, adhibendus: qui *Testatoris loco* subscriptibat. Et hoc verum est, etiam in casu, quo totum reliquum Testamentum manu Testatis fuisse scriptum. 7<sup>mō</sup>. Hæreditis institutionem posse omitti, vel inseri, citra ullam invaliditatem Testamenti. 8<sup>vō</sup>. sine his *solemnitatibus extrinsecis* invalida esse Testamenta Nobilium: ita tamen, ut eadem in Testamentis privilegiatis, de valore non requirantur. Unde licet Testamentum, quoad alia esset invalidum; tamen si quæ *legata pia* inserta essent; executioni dari deberent: neque enim hic videtur habere locum illud: *ruente Principali, ruit accessorium*. sed potius istud: *utile non vitiatur per inutile*. *Quær.* An, si aliunde constet de Intentione Testatoris: licet Testamentum sit invalidum, nihilominus tamen illius intentio sit executioni danda? *R.* si invaliditas oriatur ex defectu *solemnitatis extrinsecæ*, affirmativè. Ratio est, quia talis invaliditas fundatur in *Præsumptione contrariæ Intentionis*. juxta illud: *qui vult finem, vult etiam media*: igitur si hæc aliunde certò cognoscatur, nullus est dubius, quod Testamentum nullum sit.

cognoscatur; *Presumptio* debet cedere veritati.

4. Defectu *Activitatis*, seu *solemnitatis intrinsecæ*, Testari Nobiles non possunt immo. quidem de Bonis, à Rege propter fidelia servitia pure, seu demum titulo perennali, seu *inscriptio*, obtentis: nisi habitò prius superinde consensu Regio. A. 26. 1715. 2dò. Qui non sunt *sui juris*, aut arbitrii. P. I. T. 51. sicut enim aliæ *Fassiones*, ita *Testamentariae dispositiones* non valent: nisi liberè fiant. *argumen-*  
*Mat. Reg. D. 3. A. 26. A. 53. 1715.* Hinc defectu proprii arbitrii, ac *sui juris*, Filii, ac Filiæ, sub aliena potestate existentes, Testari prohibentur. P. I. T. 91. & 126. saltem loquendo de Bonis, eorum Liberæ dispositioni non subjectis. Ob eandem rationem, Testator debet sibi esse præsens, & ab omni metu remotus; dum condit *Testamentum*. An autem *Testamentum* sit validum, saltem titulō *solemnitatis extrinsecæ*; cognoscit Forum spirituale. *Ulad. D. 1. A. 46. A. 27. 1715. 3tiò. de Bonis aviticis*, non potest quisquam Testari cum præjudicio Legitimorum successorum. P. I. T. 5. & 58.

5. Quod *Testamentum Rusticorum* attinet; ii secundùm receptam suam consuetudinem, illud condunt; pro quo sufficit. si Parochus loci (quamvis nec istud sit necessarium) & duo Jurati,

Jurati , præsentes fuerint , & à Domino confirmatum sit : nam sine hujus consensu , *præterpias causas* , ordinariè non subsistit . Imò . igitur Rusticus hærede , ac legitimo successore destitutus , de rebus mobilibus avitis , & pœse acquisitis , potest Testari : res verò immobiles ; ut *Vineæ , Prata , Terræ extirpatione &c.* si avitæ fuerint , non subsunt ejus dispositioni , sed ad Dominum terrestrem devolvuntur . si verò acquisitæ fuerint , medietas erit Domini terrenstris ; reliqua , cui Rusticus legaverit . P. 3. T. 30. 2dō. licet Rusticus hæredes habeat ; tamen de positione *coacquisitorum* , quæ ipsum concernit , potest testari . ibidem . & P. 3. T. 29. Modò condignam habeat liberto- rum reflexionem . argum . P. 1. T. 57. Item hæredi illegitimæ ætatis , potest aliud substituere . P. 3. T. 30. Vide plura de *successionibus , De Civitatibus* . Item de *Casibus , in quibus Pater potest Filium ad Divisionem compellere* . Quod *Activitatem Testandi* attinet , illam discess Tit. de *Fassionibus* . de quibus enī Bonis Fassio celebri , de iisdem serè etiam Testamentum condi potest . circa exhortationem Filii , V. Tit. 28. *sunt. in fin.*

Observa hic , A. 15. 1647. statutum esse ; ut nonnisi solennitas Testamenti in Foro Ecclesiastico revideri possit . quod alii ad solam so-

lemnitatem extrinsecam restringunt, alii de utrâque intelligendum volunt; duci Axiomate illô juridicô: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debere.* Et alterô: *exceptio firmat regulam in contrarium.* Cæterum istud decidere Authenticè; Regiæ Majestatis est, sensu A. 17. Mat. Reg. 1471. Ubi in quæstione: an hæc, vel illa causa, ad Forum spirituale, vel sœculare pertineat? Regia deliberatio peti jubetur.

## TITULUS XLIV.

### *De Testimoniis Capitul. & Hominis Regii &c.*

Num. I. **S**ingularis Personarum Ecclesiasticarum, ac Religiosarum, cum Deo conjunctio, ac fidei integritas fecit; ut illæ censerentur, ad ferenda in Judiciis Testimonia, cum primis idoneæ; Unde Ulad. D. 1. A. 53. lege sancitum est: ut *Capitula, Conventus*, sua Testimonia ad Executiones peragendas exmittere teneantur. Appellatur autem jure nostro, *Capitulum, & Conventus*; interdum *locus Credibilis*: vel *Authenticus*: subinde verò *locus Testimonialis*: quod litteris, ac Testimoniis corundem, ubique locus daretur.

daretur. Persona verò illa, quæ ad *Mandatum præceptorium* exmittitur; vocatur *Testimonium Capituli*, vel *Conventus*. Vice quædam huc pertinentia, *Tit. de Eviction. & Evocation. N. 7.* Et simul observa 1<sup>mo</sup>. *Lector Capituli*, aut *superior Conventus*, exmittere nullum tenetur; nisi per *Mandatum præceptorium Principis*, aut *Judicis ordinarii*, legitimè requisitus: ita si ne hujusmodi requisitione, Executio Extissi, foret invalida. 2<sup>do</sup>. Ut unus *Locus Testimonia lis*, in alterius jurisdictionem, ac Territorium, se non immittat. *P. 2. T. 21. A. 40. 1723.* Sed quodlibet Capitulum, in sua diuina xat *Diecessi*, & locis Comitatui proximioribus, vel *Articulariter* sibi attributis, procedere valeat. *Ibidem. 3<sup>to</sup>.* Ut Capitulum, vel Conventus habeat quinq; ad minus personas juratas: & quidē *Canonicos actuales*, & *Presbyteros. A. 41. 1552.* *A. 39. 1723. Ludov. I. A. 21. Sigis. D. 6. ✓. 8.* 4<sup>to</sup>. Ut peracta Executione, *Testimonium Capitulare*, cum Homine Regio, vel Palatinali, coram facie Capituli, vel Conventus, *Relationem faciat*; tūmque omnes Capitulares, vel Conventuales, se subscriptant. *Ulad. D. I. A. 44. A. 39. 1723.* Quoad pñnam, falsas Relationes facientium, vide de *Fassionibus N 2.* 2. *Homo Regius*, vel *Palatinalis*, dicitur ille; qui per *Mandatum Præceptorio - Executio-*

nale, cum Testimonio Capituli, vel Conven-  
tūs, ad Executionem exmitti solet. Cujus re-  
quisita sunt: 1mō. Ut in eo Comitatu, in quo  
Executio fit, hæreditatem Nobilitarem habe-  
at, sítque Nobilis: nisi forte *de Curia Regia*,  
vel à latere Proto-Notarii, aliquis scriba, licet  
Ignobilis; vel Tabulæ Notarius deputaretur:  
P. 2. T. 19. Non tamen, si sit *Scriba*, vel  
*Juratus* Tabulæ inferioris. A. 33. 1723. 2dō.  
Ut in *Mandato Executionali*, Nomen, & Co-  
gnomen ejus exprimatur: Quod scilicet *Eum*  
*Rex*, vel *Judex Ordinarius*, pro tali Executio-  
ne deputaverit. Unde, quia *Personam Judicis*  
mandantis repræsentat; idē in eadem causa,  
*Advocatus* esse non potest. P. 2. T. 22. Nec  
in causā, in qua quis Procuratorem egit, Ju-  
dex esse permittitur: saltem ubi solus fert sen-  
tentiam, & non *juxta pluralitatem Votorum*.  
Vide de *Judicibus*. 3tiō. Ut juramentō sit ad-  
strictus, ad fidelem Officii functionem. Ulad.  
D. 1. A. 43. & A. 39. 1723. 4tō. Ne false  
procedat, *sub pena perjurii*, ac amissionis o-  
mnium Bonorum. Ulad. D. & A. citt. Mar-  
autem D. 6. A. 8. non sit mentio amissionis Bo-  
norum; sed *infamiae perpetuae*, & 25. Marca-  
stō. Requisitus per *Mandatum Regium*, aut Ju-  
dicis ordinarii; si nomen ipsius inibi contine-  
tur expreſſe, debet assumere personam Ho-  
minis

minis Regii, vel Palatinalis, sub *Birsagio* 6.  
marcar. & refusione expensar. *Ulad.* *D.* & *A.*  
citt. Licet prius tres, deinde sub *Mat.* 25.  
*Marce* fuissent determinatae. Confer hæc cum  
*Tit.* de *Inquisitione*.

## TITULUS XLV.

### De Testibus, Eorumque Requisitis.

Num. 1. **P**otissima Probationis species est,  
quæ fit per *Testes*, viva voce  
deponentes: sunt enim *Testes*,  
qui legitimè vocati, super factò aliquo *Testi-*  
*monium* dicunt. Unde olim *superstites* dicti;  
eò quod super *statu causæ* proferrentur. *Pro-*  
*log. T. 13.* *Attestationes* verò sunt, ipsorum *Te-*  
*stimonia*, quæ jure nostro, passim vocantur  
*Depositiones Testium*. Et quamvis *Testium* alii  
sint *Judiciales*, alii *Instrumentarii*, alii *Testa-*  
*mentarii*; hic tamen agemus potissimum de  
*Judicialibus*: qui ad faciendam rei controver-  
sæ fidem, in *Judicio* adhibentur. Aliud est *Con-*  
*jurator*, aliud *Testis*: nam *Conjurator* (*Cano-*  
*nistis Compurgator*) jurat solum de *Credulitate*,  
seu quod credat, *Principalem suum justè jurâs-*  
*se*. *Testis* autem jurare debet de *Veritate*, seu  
seu quod

seu quod res ita se habeat: sicut ipse per visum, vel auditum, asserit. *Kitt.* c. 6. q. 24. *Testis omni Exceptione major*, dicitur ille, qui nulla legitima exceptione repellere à Testificando potest, *Pirhing.* aliique passim: consequenter qui habet omnes conditiones, infrà adducendas.

2. Quia verò non omnes promiscuè homines, ad Testificandum admitti solent; describitur eorum qualitas satis fusè *P. 2. T. 27.* ubi sic habetur: *ut autem omnis communis Inquisitio, bono, & justo modo celebrari possit; quinque Conditiones (circa Testes nempe) sunt observandæ;* scilicet: *Libertas, Etas, Modalitas, Conditio, & Juramenti Depositio.* Ubi licet de *Communi Inquisitione*, tantum fiat mentio: idem tamen venit intelligendum, etiam de aliis casibus, in quibus Testes adhibentur. *Quæ Conditiones, per Legistas his plerumque versiculis exprimuntur:*

*Etas. Conditio. Sexus. Discretio. Fama.*

*Et Fortuna. Fides.* in Testibus ista requires.

3. Igitur 1<sup>mo</sup>. *Testis* debet esse *liber*; seu non debet *metu*, aut *pretio* ad hoc, vel illud *Testandum* induci. *Quod tamen non obstante, potest quis etiam invitus ad hoc legitimè compelli.* Ut, quod novit, aut nōesse præsumitur, judicialiter Testetur. 2<sup>dō</sup>. requiritur, ut habeat *Etatem legitimā*, positq; recordari rerum, super quibus

quibus examinatur. 3<sup>to</sup>. Modalitas: ut scilicet de modo patratæ rei, aperte, manifesteque fateatur: Utrum visu, vel auditu rem ipsam noverit? 4<sup>to</sup>. Advertenda est testium conditio: utrum nempe Nobilis, vel Rusticus? abjectæ, an honestæ conditionis? quod Testimonium Ignobilis, penes, vel contra Nobilem, attinet; vide de Juramentis. N. 4. 5<sup>to</sup>. Requiritur juramenti Depositio. P. 2. T. 27. cit. Testi enim cujuscunque Dignitatis, statu, & Eminentiae, sine depositione juramenti, fides in judicio non adhibetur. c. 5. Extra de Testibus. Et argum. A. 14. 1486. Et Praxis. Hinc etiam viri Illustres, officiō publicō fungentes, Testimonium pro Judicio dant, saltem sub eo juramento, quō tali officio sunt adstricti. Nisi Partibus ita consentientibus (saltem in causis non arduis) juramentum alicui relaxaretur. Certè Attestatio etiam litteratoria cujuscunque, nisi juramentō solidetur, fidem in judicio non invenit. Unde, quia de praxi Hungariæ, Mulieres prægnantes, absque prævio juramento examinantur; earumdem Fassio parum, aut nihil probat.

4. Ex his, aliisque Juris Textibus infertur: quod non sint Testes idonei, seu omni exceptione majores, Infames. P. 2. T. 36. 2<sup>dō</sup>. Perjuri. ibidem. idque, etiamsi fuissent emendati. Cœlum, l. 1. c. 27. 3<sup>to</sup>. Ignobiles contra Nobilem:

in causis criminalibus, criminaliter intentatis : siquidem veritas aliter haberi possit. *P. 2. T. 27. & A. 26. 1729.* 4<sup>to</sup>. servi, ac subditi contra Dominos, in criminalibus. *S. Steph. l. 2. c. 19.* Ubi nec accusare eos permittuntur. Uti & argum. *A. 26. cit.* vide de *Juramentis N. 4.* 5<sup>to</sup>. Accusator contra Accusatum ; saltem excepto crimine *laſe Majestatis*, sensu *A. 7. 1715.* §. Præterea an &c. 6<sup>to</sup>. Socius Criminis, nec pro, nec contra socium Testis esse potest. *Kit. c. 6. q. 5.* Uti nec in propria quisquam causa Testis, aut *Judex* esse permittitur argum. *A. 41. 1723.* 7<sup>mo</sup>. *Procuratores, Judices, & Patroni Causarum* arcentur à ferendo pro, vel contra, Testimonio in illis causis, in quibus egerunt, defenderunt, aut Judices fuerunt, *Prolog. T. 16. P. 2. T. 22. 8vō.* Inimicus contra Inimicum, non admittitur, etiam in Criminibus exceptis. *l. 3. ff. de Testibus.* 9<sup>no</sup>. Exceptio etiam formatur contra Parentes, & Liberos : item contra *Conjuges* ; ne pro se invicem Testimonium ferant. Idem est de *Consanguineis*, aut nimia inter se familiaritate junctis : vel qui sunt de Familia illius, qui Testes producit. Ubi tamen excipiuntur *delicta occulta*, & quæ alii scire non tam facile possunt. 10<sup>mo</sup>. Potest etiam excipi contra eos, qui dubiè, & non aperte, vel de simplici auditu deponunt : nisi

nisi quæstio solum esset de auditu. argum. P. 2. T. 27 §. Tertiò necessaria est Modalitas. &c. 11mò. Laicus Testari contra Clericum non permittitur. S. Steph. l. 2. c. 3. Cæterum licet Testes non sint *idonei*, si tamen Partes contra illos non excipient; vel res sit exigui momenti, Testimonium locum habebit. 12mò. denique non est audiendum Testimonium, ultra 60. annos sese extendens, P. I. T. 39. Vide de his plura, apud Canonistas ad Tit. de Testibus.

5. De Examine Testium, noto sequentia, 1mò. quilibet Testium ( seu in Judicio, seu collateraliter ) antequam fateatur, jurare debet; quod omni timore, favore, odio, amore, & præmia litigantium remoto, veritatem non celabit, falsitatem non justificabit, justitiam non falsificabit: sed prout res illa, de qua examinatur ( juxta puncta Deutri, seu interrogatoria ) sibi nota est; justè declarabit. P. 2. T. 28. Deposito sic juramentō; examinandi sunt Testes Partibus exmissis, & quidem singuli eorum seorsim. Mat. Reg. D. 6. A. 14. & Kitt. c. 6. q. 3. quamvis uterque loquatur de Communi Inquisit. Et quantum fieri potest, formalia cuiusvis verba auctoranda: quin pro meliori, etiam singulis prælegenda; ut vel se corrigere, vel dicta magis declarare queant. 2dò. Testis debet sufficientem asserti sui rationem reddere si

(nempe interrogetur) quare scilicet dicat, rem ita esse? an quia vidit? vel audivit? an audiverit ab aliquo determinato, vel tantum in confuso, ac sine ullo certo authore? Scus enim fidem non meretur, potestque contra eum excipi. *argum. P. 2. T. 27. S. Præterea Modalitas &c.* Et ex *Decisione Anni 1700. Posonii in Octavalibus facta. 3tio.* Caveat Testis, ne multum loquatur; sed respondeat directè ad quæsita: Extravagantes enim illius responses non merentur fidem. *4tio.* Interrogandus ante omnia quisque eorum est: quo nomine, & cognomine vocetur? cuius etatis? *Conditionis!* *Possessionis*, seu loci *Incola?* Item cuius *subditus?* in *communi autem Inquisitione*, etiam de eo: an nempe, & quis eorum sit *vicinus?* quis *comprovincialis*, seu ex eodem *Comitatu?* *duorum enim*, vel *trium Vicinorum, & Comitaneorum attestatio plus valet quam 20. (ceteris paribus)* comprovincialium. *P. 2. T. 29.* Atque hæc omnia, unà cum eorum nominibus, litteris Relatoriis inserenda. *ibidem, & praxis:* quæ idcirco notari debent; ut Partes litigantes, contra Testes, defectu aliquo laborantes, excipere possint. *P. 2. T. 29.* Id quod liberum ipsis erit (ut censem Jureconsulti) etiam post *Authenticationem eorum, & reportatam Inquisitionis seriem, facere: si prius exci-*

excipere non potuerunt. Possunt autem Testes, prius *lateraliter* deponentes, deinde *in iudicio* modificare suas responsones: imò etiam retrahentare. *praxis.*

6. Si qui litteris, seu *Mandato Compulsorio* suæ Majestatis, vel *Judicium Regni ordinariorum*, aut saltē per *Juratum Notarium*, requisiti, sc̄e à perhibendo veritati *Testimonio* subtraherent; in 16. *Marcis*, gravis ponderis *convincantur*. *P. 2. T. 28.* quod si verò rebus tanti valoris, & ære aliquis careat; capiatur, & *luat in pelle*. *A. 81. 1563.* quam pænam, *citra omnem citationem*, eō factō desumet Vice-Comes, ad requisitionem *Exponentis*: in una quidem pro se, in altera verò parte, pro Exponente *cessuram*. *A. 49. 1635.* Cæterū hæc pæna sensu *P. 2. T. 28.* tunc solūm incurri videtur; cum Testis *litteratorie* erat requisitus. Atque hæc omnia intelligenda sunt pro casu, quo non adest *legitima excusatio*. Quidam inviti, cogi ad *Testificandum*, non possunt; uti Parentes contra *Liberos*, & vicissim. *I. 6. Cod. de Testibus.* vide *Tit. 28. N. 3.* quo nomine veniunt omnes *Ascendentes*, & *Descendentes*, in Paterna, vel Materna linea. Idem dicendum quoad *Conjuges*, & *Affines*: nisi utilitas publica contrarium juberet. ita *Pirrhing*, *Engel* &c. Neque tenerur quis fateri delictum, quod

quod sub secreto est communicatum, vel si sciat rem, de qua examinatur, adhuc esse occultam, nec haberi *sufficientia*, ad inquirendum legitimè *Indicia*: vel si sibi grave inde *damnum imminet*: nisi forte crimen esset exceptum, & in grave *Reipublicæ damnum vergens*. *Laym lib.*  
*4. Tract. c. 4.* Pariter Personæ Ecclesiastice, seu sint Clerici *seculares*, seu *Regulares*; nō possunt à Judice *sæculari* ad *Testificandum cogi*, sive causa sit Civilis sive Criminalis *Cap. statutum. 38.*  
*2. q. 6. & P. 2. T. 40. §. Corā Testimonio alicujus Capituli &c.* Nisi vel corā suo Judice Ecclesiastico, vel ex ejus permissione. Judices verò Ecclesiastici, Testes compellunt per *censuras. stylus.* confer hæc cum iis, quæ verbō: de *Inquisitione ac de Juramentis dicta sunt.*

*Transmīs. Lit. v. de Appellat.*  
*Transump. Lit. v. de Litteris,*

## TITULUS XLVI.

### De Tutelis. & Curatelis.

Num. I. **D**E *Tutelis, & Curatelis agitur copiosissimè P. I. Decret. Tripar. à Tit. III. usque ad Tit. 132. inclusivè: de quibus compendiō habe sequentia*

quentia. 1mō. Tutela, est potestas tuendi cum, qui ob imperfectam aetatem se defendere nequit. P. I. T. 112. Unde & Tutores, authoritatem tantum defendendi; & non abalienandi Bona pupillorum, habent. 2dō. Tutela est triplex: Legitima, Testamentaria, & Dativa. Legitima, sic dicta, quod à lege detur, est: dum Pater, Mater, vel Frater agit Tuteorem. Nam alterutro Parentum superflite, alias ad Tutebam pupillorum non admittitur Ordinaria: si autem Parentes obeant; tunc ad Fratrem recidit. P. I. T. 113. Deserturque eodem ordine, quod Bonorum successio quemque tangit. Hæc Tutela respectu Parentum, est simul Naturalis. Testamentaria est, dum aliquis Testamento Tutor constituitur. Et hæc semper tenet: nisi Fratrum carnalium, vel Uxoris contradictione legitima impediatur; vel ubi lex, aut Consuetudo Patriæ, talem personam non excludit. T. 114. Tutela Dativa est, quæ alicui datur à Principe, vel Patrono: & habet fieri; quando tam legitima, quam etiam Testamentaria deficit. T. 115. Cæterum sensu A. 68. 1715. Et Palatinus, & Magistratus Comitatenses, ac Civici, pro suis respectivè subditis, Tutores dare possunt. Dantur autem Tutores, Pupillis illegitimæ aetatis; Curatores vero dicuntur, qui post legitimam quidem; sed ante

ante perfectam ætatem, eos defendunt. Quæ sit ætas legitima? quæ perfecta? vice de ætatis bus Puerorum.

2. Arcentur autem à Tutela, & Curatela. 1<sup>mo</sup>. Perjuri, aut aliter Infames, Proscripti; vel Nota Infidelitatis, aut sententiâ capitali, cum amissione Bonorum, gravati. *P. i. T. 119. & 121.* 2<sup>do</sup>. Cognati, seu Fratres per Matrem (qui etiam Fratres faminei sexus circuntur) si qui adhuc ex Agnatis, seu Fratribus per Patrem, sint superstites. *T. 116.* si tamen Bona manifestè concernant utrumque sexum; tunc si cognatorum aliquis habeat ætatem sufficientem, non item ullus Agnatorum; tunc inquit usque ad debitam Agnati ætatem, cognatus admittitur. *T. 117.* Vide de Agnatione. 3<sup>to</sup>. Arcentur etiam illi, qui perfectam ætatem nondum habent: nisi Matrem Orphanorum, ad secundas Nuptias transire contingat; & per hoc Bona pupillaria desolationi subjacerent: tunc enim Fratres, & Agnati, licet perfectæ ætatis non sint, modò tamen legitimam habeant ætatem, ad Tutelam admitti solent. *ibidem.* 4<sup>to</sup> Mater (nisi habeat separata Bona) ad secunda vota transiens, non admittitur. *T. 113.* 5<sup>to</sup>. Bonorum Dilapidatores, aut de dilapidatione suspeoti, vel nimiū Pauperes, aut Patris Orphanorum inimici Capitales; vel de quibus time-

tur,

tur, quod ad Bona Orphanorum adſpirent. 61<sup>o</sup>. Qui ſe alienæ potestati ſubjecerunt, vel ſubjici permiferunt; qui enim juris ſui non eſt, alterius Tutelam gerere non permittitur. T. 121.

3. Hac ſuper materia ſancitum eſt noviſſime. 1m<sup>o</sup>. Ut Decedentibus Pupillorū Progenitoribus, Agnati, aut Cognati eorum, ſine mora id V-Comiti illius Comitatūs, in quo Bona Pupillaria adjacent, ſignificare veſtint; qui adjunctis ſibi Judice Nobilium, & Juraſſore, Agnatis item, & Cognatis proximioribus, ad faciem talium Bonorum exeat; & Inventarium omnium ( litteralibus tamen Instrumentis nequaquam inspectis ) conficiat: atque in proxima congregatiōne referat, & inter Acta Comitatūs conſervet. Vice-Comite verò impeditō, aut in cauſa Pauperiorum; Judex Nobilium, cum jurato Aſſeffore, idipſum præſtet ex coſmissione Vice-Comitis: nec prius Tutelam quiquam adeat; quam hæc effectui dentur. 2d<sup>o</sup>. Tutores hōc modō conſtituti, Bonorum pupillarium prouentus, & Res mobiles, quæ ſervando ſervari non poſſunt, tempore competenti, & juſtō pretiō diſtrahant, pecuniāmque hætere non permittant, ſed erga legale Interesse eloquent; vel in augmentum Bonorum convertant. 3r<sup>o</sup>. Ut ſuper Tutoratu, aut Curatoratu, ſingulē ad minus Trienniō, co-

ram Exmissis à Comitatu, Pupillorumque consanguineis proximioribus, quantum fieri potest, præsentibus; Rationes reddant. 4<sup>to</sup>. si fideles in administrando reperti fuerint, procuris, ac laboribus, intra Tutoratum impensis, sextam Reddituum, ex Bonorum provenientibus partem (*dempto Interesse*, ex pecuniis elocatis perceptō) pro se retinere valeant. 5<sup>to</sup>. In casu vero *malæ administrationis*, absque omni remuneratione amoveantur: & ad mentem AA. 24. 1655. & 32. 1659. ad satisfactionem compellantur. 6<sup>to</sup>. Ut pupilli, usque ad legitimam ætatem, Tutoribus subsint, neque Curatores pro se eligere, nec de rebus suis mobilibus disponere valeant. 7<sup>to</sup>. Ad perfectam ætatem venientes, si quas à Tutoribus, vel Curatoribus rationes reddendas haberent, eas illis viventibus, & non ab eorumdem hæredibus, exigere teneantur. 8<sup>to</sup>. Et hæc de Tutoribus *Dativis*, *Testamentariis*, & *legitimis* duntaxat intelligantur; non vero de *legitimis*, & *naturalibus simul*, id est: non de Parentibus (hinc patet, nomine Tutorum *naturalium*, venire solos Parentes) utpote qui, ad reddendas Filiis suis rationes, non tenentur: nisi Matres ad alia vota transirent, & Bona pupillaria Paterna quacunque ex ratione administrarent. Ita hæc statuuntur A. 68.

1715. vide etiam de *Prorogationibus*.

*Vendit. v. de Admo. Bon. Avi.*  
*V-Com.v.de Offici. For. Comp.*  
*Vini Educ.v.de Job. Lib Nob.*

## TITULUS XLVII.

### *De Violentiis Variis.*

Num. 1. **I** Stud hac in materia præmittendum: neminem in proprio violentum dici, aut esse; neque potentio-  
sè tum agere quemquam, cùm agit jure suo,  
vel dum Iniquum lædit Aggressorem ( vide de  
*Defensa*) violentia enim, debet esse *actus*,  
quò aliquis in persona, juribus, aut rebus suis,  
eitra legitimam authoritatem, ab alio lædiatur:  
seu ubi Jurisdictio alterius, vi, & potentia, ab  
altero sibi vendicatur. P. 1. T. 68. Nomine  
*Violentia*, veniunt omnes *actus* potentiarum, ma-  
jores, & minores; seu cunctæ injuriæ: sive  
demum illæ Personis, sive Rebus illatæ fuerint.  
Quæ, licet sint *majores*, si tamen in *Sedria*  
*Comitatibus*, *Processu queruloſo* discussiantur;  
pænam, idque relatè ad *Nobilem*, ultra 100.  
*florenos Ungaricales*, non inferunt. A. 55. 1625.  
In Comitatibus enim ratione *Violentiarum*, &

R.

Actuum

**A**ctuum potentiariorum, pæna 100. florenis major, decerni non potest. *P. 3. T. 26:* si vero Reus convictus, sit Ignobilis; eadem pæna homagio ejusdem, sive 40. florenis compensatur. vide de *Calumnia N. 3.* item de *Infamia. & Kit. c. 9. q. 27.* Atque hæc pæna æqualiter dividitur inter Judicem, & Actorem *A. 55. cit.*

2. *Sententia*, in actibus minoris potentiae, tanquam in simplicibus violentiis, lata (olim ferebatur etiam in *Curia Regia*; nunc ad *V-Comites restricta. A. 35. 1729. & A. 28. 1715.*) vocatur *simplex*; ferturque æqualiter inter, & contra omnes Magnates, & Nobiles. *P. 2. T. 67.* ac præter 100. florenos, etiam dæmnorum refusionem, Parti triumphanti, secum affert. *Ibidem. & A. 48. 1563. A. 55. 1625.* Ac proinde, seu hæc sententia feratur contra Magnatem, aut Baronem Regni, seu contra Nobilem; non facit plus, quam 100. florenos. Excepte casum, in quo Nobilis lædit *Rusticum*, nam tunc præter 100. florenos, quos Lædens, respectu Dñi terrestris debet; insuper respectu *Rustici laeti*, in 40. florenis interdum convincitur. *P. 3. T. 31.* Unde patet, pænam violentiae, inter & contra Nobiles, differre à pæna homagiali; aliisque *Birsagialibus* eneibus. Pæna enim homagialis (nisi aliter per expressum statuatur) cedit Actori: *Birsagiales* vero in duabus partibus Judici,

Judici, in tertia verò Actori. De quibus, uti & de Processu, ratione violentiarum suscitari solito; vide Tit. de ~~Actibus~~ potentiaris N. 10. &c. Item de Damnis, ac de Emenda lingue &c. quibus locis etiam de Violatione sedrie, agitur.

3. De Violentis Bonorum, ac Jurium alienorum Occupatoribus, statuuntur sequentia. Imo. Fiscus Regius, Bona aliqua, ab iis, qui prius in eorum dominio erant, vigore Recapitulatoris occupans; in estimatione eorundem convincitur. Albert. Reg. A. 24. Id quod etiam ad alios Imperatores, jus Regium non probantes, extenditur: qui si ante decisionem cause, super facto impetrations, mota; se in Bona impetrata occupative ingerant; nec tandem juridicè sibi appropriare possent; in facto potentie condemnatur ibidem. Consonat his P. I. Titulus 68. & P. 2. T. 42. Ubi statuitur: cum, qui Bona ad te jure devolvenda, occupasset violenter; posse eadem per te violentia, intra annum expelli: post annum verò, non nisi Processu juris mediante. Ubi si jus tuum liquidè probaveris, occupator Injustus, non secùs convincetur, quam si Bona ejusmodi cè manitus tuis eripuisset: ac proinde (si nempe agatur Processu quinque Casnum) in sententia capitali. P. 1. T. 68. Idem habetur quoad ejectionem violenti occupatoris, A. 4. 1545.

sed à Rege huic *Articulo* non est subscriptum: ut habetur post *Conventum Tyrnaviensem*, in *Corp. Jur. Ung.* eò quod censeret, majores inde tumultus, excitari posse. 2dò. Ad coercendam violentorum temeritatem, eorum maximè, qui auxiliō aliorum hominum vagabundorum, penes se assumptorum, vel subordinatorum, violentias patrant; sanctum est: ut tales jure convicti, non solum in pæna *Personarum propriarum*, sed etiam in totali onere assumptorum, vel commissorum aggraventur; ac totalis executio, de Bonis eorundem peragatur. Et si Assumpti, fuerint meri vagabundi, nullasque certas *Residentias* habentes, tunc satis erit Actori, eorum numerum edocere; licet nominare nequeat Personas. A. 56. 1655. unde à Contrario inferri videtur; quod si habeant certas *Residentias*; tunc etiam nomina eorum indicari per Actorem debeant. 3tiò. Hic verò, aliique *Articuli*, de violentiis editi, extenduntur ad homines cuiusvis dignitatis: sancturque, ut legitimi Acquistores, juxta T. 67. P. 1. non tantum Dominium possessorum, sed etiam successorum, in Bonis acquirendis mobilibus, & immobilibus habentes; Extraneos, & Illegitimos, ac sine ullo juris titulo, à sanguine alienos, talium Bonorum violentos occupatores, jure de violentiis edito,

con-

convenire possit. Confer hæc cum iis, quæ de *Actibus potentiaris N. 12.* &c. habentur.

Notandum hic obiter; quod *Dominium possessarium* alicujus Boni, dicatur habere ille; qui actu illud possidet; vel saltē *Dominum ejus directum* habet: *successarium vero*; qui habet jus, in eo succedendi. sic Frater actu habet *Dominium successorium*, in Bonis sui Fratris condivisionalis, pro casu scilicet defectus: licet non habeat *possessorium*. *P. 1. T. 67.* vide etiam de *Birsagiis N. 5. 6. &c.*

4. In Bonorum, semel judicialiter restitutorum, *Reoccupatores*, statuta est pana *Insidelatis. A. 3. 1545.* sed illa non videtur exendi ultra illos casus, nunc autem, si qui talia Bona, propria authoritate reoccupent; praeter pñam homagialem *50. Marcarum gravis ponderis*, etiam in refusione expensarum, ac fructuum, medio tempore inde perceptorum, ad mandatum suæ Majestatis, vel Judicis Ordinarii, facienda, convincuntur: Insuper propter violentiam, potest contra illos agi, etiam ad pñam violentiæ. *A. 31. 1681. & A. 34. 1729.* Cives denique, res, aut servitores Nobilium, in medio ipsorum habitantium, arrestantes, vel eorum immunitates quomodolibet turbantes; in violentia convincantur. *A. 78. 1647.* *Dicit aliquis.* Nos, per decursum

hujus libelli, s<sup>e</sup>piuscule adduxisse leges Canonicas, ac Civiles; quibus tamen Hungaria, aut Provinciae eidem obnoxiae, nequaquam tenerentur. R. quamvis Ungari legibus Ext<sup>er</sup>orum non ligentur, nisi eas in suas retulissent; quod tamen Domi deest, id foris querere non negligunt, Neque putant indignum, in casu praecipue, Legibus municipalibus non expresso, ad Canonicas, Civilisque sanctiones, vel certe ad naturalem configere aequitatem. Id quod omnium Jureconsultorum consilium est. Quanquam volupe nobis fuisset, latius per Canonicas, Civilisque leges divagari: nisi commoditati magis legentium, quam voluntati propriae servire placuisse. Adde: quod nec tempus, nec ratio Compeditii plura sineret.

## INDICULUS Articulorum Diætalicum Anni 1741.

**A**D calcem penè Libellus deductus fuerat, cum Articulos novissimæ Posonii Diætæ accepimus: quos, ne quid Lector desideret, in brevem redactos Indiculum, hic adne<sup>ct</sup>imus: indicaturi simul, quoad fieri poterit, Novellas ejusdem Diætæ constitutiones, quæ

quæ legibus hactenus adductis adversantur.

**Accusator.** Ubi Actio Fisci Regii; vi A. 7. 1715. Præsidi, delegati in causa, Criminis læsæ Majestatis, Judicii, pro Termine præfigendo, Reoque citando imposterum exhibebitur; eidem Præsidi nomen etiam & cognomen Delatoris, seu Accusatoris significetur: quatenus, & quoad Hunc; Delegatum in causa Judicium, dispositioni præcitatæ legis semet accommodare sciat. A. 26. vide de Nota Infidelitatis.

**Appellatio.** Quamvis per A. 31. 1729. causæ immediate in Tabula Banali suscitatae ( exceptis Pauperum, aliorūmque 500. florenos non excedentibus, causis ) intra Dominium tantum transmittendæ essent; posthac tamen omnes ejusmodi causæ, siquidem dicta Tabula prima Instantie Judex sit, usq; ad 20000. floren. extra Dominium, ad Curiam Regiam transmittantur. A. 58.

**Archivum.** In Capitulis, & Conventionibus, veluti locis Credibilibus, sufficientes Personæ, & Juratæ, cum Notario condignè salarizato habeantur. Acta vero Archivorum, non nisi pro sola Expeditione, Norariis, ad hospitia eorundem dentur, ac statim rep-

nentur: aliis autem quibuscumque, sive in hospitio Notarii, sive alibi, nonnisi coram duobus Capitularibus, aut respectivè Conventualibus, communicanda, & volvenda exhibeantur. A. 25.

**Banus** Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, imposterum à potiori intra Regni limites permansurus, in plenam, & legalem autoritatem, atque jurisdictionem, juxta etiam AA. 114.. 1715. & 87. 1723. reponitur. A. 47.

**Beneficia.** Omnes Beneficiati, publicis Regni negotiis non impediti, in suis Diœcesis, ac Beneficiis resideant; sub pena retentionis proventuum Beneficialium, per Regiam Majestatem facienda. A. 16. vide infra verbò: *Hungarus, Item Extranei.*

**Camera** Regia Hungarica, in plenam autoritatem omnino est reposita, nec ulla tenus ab *Autica* dependens: omnesque super negotiis suis Informationes, ac Repræsentationes, Majestati Regiae immediatè inscribere: atque ab Aula duntaxat Regia, *Rescripta* recipere debet: omnes denique aliæ Camere, uti *Salis*, *Montanistis*, & quidquid *Aerarium* respicit, eidem subordinentur. A. 14.

Cancello

*Cancellaria* Ungarico - Aulica , in Expeditionibus , per ipsam emanatis , nullatenus per alias Jurisdictiones turbari , aut impediri valeat : atque ad eam Hungari possessionati , ac etiam de Clero assumendi . A. 13.

*Civitas.* Ne Regias , ac Montanas Civitates , ullæ Jurisdictiones Camérales , in suis juribus turbent , aut semet in earum negotia misceant . A. 37. & 40. vide intrà verbo : *Magister Tavernicor.*

*Comendans.* Fortalitiorum Comendantes , eorumque subalterni , Prætorésque militares , in Res , & personas non militares nullam exerceant Jurisdictionem : neque illum ad excipiendas ab ipsis *Passuales* adstringere , vel occasione *Nundinarum* , ac alio quovis tempore , exactiones ulla facere præsumant , secùs præter refusionem , in eos exemplariter animadvertisetur . A. 30.

*Commissariatus.* Belli Commissarii & Cassæ Perceptores , ex Ungaris quoque constituendi . A. 42.

*Commissio* Neoaquistica , tam relatiè ad *Fiscum Regium* , quam in ordine ad pri-  
vatos Causantes , penitus tollitur ; Causis o-  
mnibus

mnibus, ad ordinariam juris viam reductis :  
*Novumque cum Gratia, omnibus suffragati*  
*queat.* A. 21.

**Concursus.** Nomine *Concursus*, in-  
 tellige hic particularem Regnicolarum Conven-  
 rum, A. 8. 1715. declaratum : qui concur-  
 sus, non nisi in casu repentinæ, in Ungariam  
 hostilis irruptionis, vel belli flagrantis; & hoc  
 directè Regnum tangentis, locum habeat. A.  
 22. Confer cum dictis Tit. de *Taxis N. 3. S.*  
*Corona Custodes renunciati C. Georg. Erdödy,*  
*& C. Joann. Eszterházy.* A. 7.

**Convictus.** Fundatio *Convictus No-*  
*bilium Tyrnaviæ*, tam quoad sumptus Regios,  
 quam Archi-Episcopales, eò destinatos, re-  
 fuscitatur. A. 43.

**Corregens.** Sereniss. Princeps Franciſ.  
 Lotharingus; in *Corregimen Ungariæ*, anne-  
 xarumque eidem Provinciarum, admittitur,  
 & ad mortem iisque, ac placitum Regis Ma-  
 jestatis, stabilitur. Salvis tamen omnimodè  
*Authoritate Palatinali*, cunctisque super *inse-*  
*parabilitate Provinciarum*, ac *successione Regia*,  
*constitutionibus Regni*: supremis item privile-  
 giis, & Juribus Majesticis, aliisque præro-  
 gativis, præsertim *TT. 4. & 9. P. 1.* expres-  
 sis,

sis, penes coronatam duntaxat Majestatem Regiam, cui Unicè competitunt, remanentibus & absque ullo in futurum præjudicio. A. 4.

*Croatia, Dalmatia, Sclavonia,* subsidium pro militia, aliisque publicis Regni necessitatibus, per hæc Regna solvi consuetum, unà cum media Tricesima, & Auctione ordinatur. A. 54. Item iidem Regnicolæ, ab omnibus Hybernis, Transenais, & Condescensionibus militaribus, extra casum summæ necessitatis, immunes statuuntur. A. 48. Sclavonia inferior jurisdictioni S. Coronæ reincorporatur, & Bano subordinatur. A. 50.

*Diploma Regium.* Continet  
hæc puncta. 1. præter successionem hæreditariam, Coronationemque Regiam, in reliquo omnes libertates, Regnicolarum leges, & privilegia, ab antiquis Regibus, & Nobis concessa, vel concedenda observabimus. 2. S. Regni Coronam per deputatas ex eorum medio personas sacerdtales, in Regno conservabimus. 3. Recuperata, & recuperanda quævis hujus Regni Tenuta, & partes, eidem reincorporabimus. 4. quodd deficiente successione Regia A. 1. & 2. 1723. Stabilit, & modif. cata; pristina Reges eligendi libertas habeat locum. 5. Ut quoties inaugratio Regia in-  
stau-

stauranda fuerit, toties successores coronandi; in hanc assecrationem Diplomaticam prius jurare debeant. A. 2. Vide infra Nobilis.

## Donatio Litteræque Donationales.

Donationales quælibet sensu

A. 122. 1647. Armalésque Litteræ, per Cancellariam Ungarico-Aulicam expediantur. Novæ item Donationes, juxta P. I. T. 77. absq; influxu, & concursu Camerali concedantur.

A. 19. *Donationales Palatinæ super iure Regio impetratæ*, licet sensu A. 33. 1715. cùm Cameris Regiis communicatæ non essent, per hoc tamen pro *vitiōsis*, aut *invigorōsis* haberi non possunt; reliquis dicti A. 33. punctis in suo vigore permanentibus. A. 20. vide de *Donat.* item de *Palatin.* N. 3. supra

## Extranei.

Beneficia majora Ecclesiastica, in Regno actu tenentes, & nondum articulati Episcopi, Præpositi, Abbates, Custos Albensis, Taxam mille aureorum deponant ex integro: qui verò Proposituras, Abbatias minorum Redituum, vel Canonicatus tenent (relaxatis reliquis) 200. aureos persolvant: adigendi ad id per Consilium Regium, A. 17. confer cum A. 26. 1687.

## Fiscalia, & Fiscus Regius.

Licitatio Bonorum Fiscalium tollitur. A. 19. Fiscus Regius conformiter ad A. 51. 1723. in causis tam activè, quam passivè per eum movendis, coram iisdem Judicibus, & Foris, ad quorum Judicatum causa de lege pertinet, juri stare tenebitur. A. 23. Bona Zriniano, & Frangepano-Fiscalia, Trans-Colapina, & maritima, per Cameram Grævensēm, aliosque tenta, communibus Regni legibus, & jurisdictioni imposterum subesse debent. A. 52.

**Hungarus.** Res, & Negotia Hungaria, tam intra, quam extra Regnum, per Ungaros tractanda; ac proinde etiam in Aula, fidelium Consiliariorum Hungarorum operâ, sua Majestas Regia utetur: imo in arduis, Regni Primate, Palatinum, ac Banum in præsentiam suam advocabit, negotiisque cum iis conferet, & ad ipsum etiam statūs ministerium Nationem Hungaram adhibebit; atque ad Regium locumtenentiale Consilium, Ungaros possessionatos, etiam in futurum assumet. A. 11. Item omnia Beneficia, Dignitates, & officia Ecclesiastica æquè, ac sacerdotalia, Hungaris bene meritis conferet. A. 15. item ad Canonicatus, non nisi consuetudinum Regni, & lingua Patria gnari Hungari assumantur. A. 16.

16.item Universi Regnorū Dalmatiæ, Croatiæ,  
& Sclavoniæ Filii nativi, quoad Officia Bene-  
ficiaque Ecclesiastica, & sacerdotalia, sub denomi-  
natione Ungarorum comprehenduntur. A. 61.

*Indigenatus Taxa*, imposterum erit  
duorum millium Aureorū Ducatorum, aliae quoq;  
conditiones sensu A. 26. 1687. observandæ præ-  
cipiuntur A. 41. vide de *Libertatibus Nobilium*.

*Insurrectio*. Desribitus hujus mo-  
dus, & occasio A. 63. neve ullum exinde na-  
scatur in futurum præjudicium, multis, gravi-  
busque verbis cavetur. summa est. 1mō. Ut  
Pedites statuantur *viginti unum mille*, *sexcenti*  
*viginti duo*, erga Portas Regni repartiti, &  
in 6. legiones efformandi, & ex *Fundo Contri-  
butionali*, unà cum Officialibus alendi, vesti-  
endi, ac instruendi: ita tamen, ut emersu-  
ros in illis defectus, Regnum non teneatur  
n-vis Tyronibus supplere; Officialésque usq;  
ad Centuriones inclusivè ( stabalibus Regiæ  
Majestati relictis ) ipsi Comitatus nominent:  
tum sclopos, vexilli, Tympana, & Tento-  
ria Majestas Regia provideat. 2dō. Ut præter  
personalem insurrectionem, omnes Possessio-  
nati, à singula Porta Palatinali, singulum Equi-  
tem, omnibus instructum sistant. per annum  
1742. militarem intertenendum, & sub panas

in A. 46. 1681. contenta, tempestive sosten-  
dum. Quòd si extra Regnum ire continget;  
Regiis stipendiis erunt sustinendi. Quomodo  
vero Cívitates, Cameralistæ, aliique Officiales  
ad dictam *Insurrectionem* concurrere debeant?  
vide A. 63. cir. item 59. ubi de Dalmatis, Croa-  
tis, Sclavisque confirmatur. A. 66. 1681.

## *Magister Tavernicorum.*

Causæ Fodinales, ad judicium Montanisticum  
pertinentes, per viam *appellationis*, ad sedem  
Tavernicale transmittendæ, Officiūmq; Taver-  
nicale, in Domo Monetaria, Budæ erigenda, in  
suam aëtitatem legalem reponendum. A. 12.

## *Miles.* Personæ Militares eorumdēm

que Hæredes, Fundos Civiles tenentes, non  
solum quoad hos fundos, sed etiam quoad *De-  
bita*, præsertim tales Fundos respicientia; sub-  
sist locorum Magistratibus, acque status mi-  
litaris, Fundum Civilem Personæ militaris de-  
functæ occupare, ac distrahere attentet. A. 38.  
Item Inductio Panni, pro solutione militiae con-  
finiariæ Regni, penes solitas *Passuales*, sit ubiq;  
libera ab omni Tricesima, ac pensionibus. A. 62.

## *Moneta Moravica, Grōshl nuncupa- ta*

ubique in Regno, etiam apud *Cassam Bel-  
licam*, acceptanda. A. 32.

Nobis-

*Nobilis.* Clausula Diplomatis Regii:

prout super eorum usu, & intellectu Regio, & communi statuum consensu, Dietaliter conventum fuerit; ad Fundamentalia jura, libertates, immunitates, & Prærogativas statutum Regni, nullatenus extendenda. Quæ jura vide Tit. de *Libertatibus Nobilium*, in hoc syntag. vi quorum ab omni in perpetuum contributione eximuntur: adeoque etiam eatchius onus publicum, Fundo eorum inhætere non potest. nec sensu etiam A. 3. 1715. Hungari ad normam aliarum Provinciarum, gubernari unquam possint. A. 8. Circa Nobiles Campi Turopolya, & alios unius sessionis; renovantur. A. 92. 1723. ut scilicet in omnibus suis libertatibus, uti & Armatissæ, permaheant. A. 60.

*Officia.* Vide *Hungarus. Oppida Hajdonicalia* quoad negotium in A. 95. 1715. de notatum, ad futuram Dietam relegantur. A. 36.

*Palatinus* Creatus C. Joannes Pálffy, cui & suprema Armorum Regionum, per Ungariam, prefectura data, & de Salario provisum, & lege adjunctum, Locumtenentiale officium, confirmatum est: statutumque, ut hæc dignitas ulta annum non vacet, & in pristinam, ac legalem authoritatem plenè reponatur;

tur, eaque fungatur: neque ei *Corregentia* quidquam præjudicet. A. 5. 9. & 4. Huic, in Judicatu Curiæ Regiæ, successit C. Joseph, Eszterházi, prius Banus Croatiae, &c.

**Posta.** Supremus Postarum Magister, semet. A. 22. 1715. accommodare tenetur; ubi præcipitur, ut subalternos Postarios, & Verdarios per Ungariam, Nobiles duntaxat Hungaros, & quidem Possessionatos, legibusque Regni, extra officium subjectos; quamprimum assumat: Postasque in prioribus locis relinquit. Ita ibi. Præterea, ut in omnibus Tribunalibus, etiam Comitatensibus, & Civitatisbus ex officio; & vicissim ab inde ad quavis Instantias, sub publicis sigillis, æquè ex officio scriptæ litteræ, gratis extradantur, & acceptentur. A. 31.

**Primas.** Dignitas Primatialis, & Archi-Episcopaloris, in plenam authoritatem, ac jurisdictionem reponitur; duplexq; eidem sigillū, ad omnē usum legale, consignatur. A. 10.

**Quæstius.** Circa rerum, in Ungaria procrestarum, eductionem renovantur. A. 11. 75. 1715. & 78. 1723. Boumque in Austriam Interiorem, & per hanc, in Diticnem Venetam, pulsio libera statuitur. A. 27. & 55. Vide

de Teloniis suprà. Quamvis Græcis, Armenis,  
& Judæis quæstus vinorum, sub pena Confi-  
scationis prohibitus sit ; qui tamen in Regno,  
Græci, Armeni, aut Rasciani, jure Civilitatis  
gaudecent, vel in Bonis Dominorum terrestri-  
um habitarent, quæstum liberè exerceant. qui  
autem Turcæ subjecti essent, ii ab alio, nisi  
quem Tractatus cum Turca Pacis admitteret,  
quæstu arcendi. A. 29.

*Reincorporatio.* Comitatus Krasz-  
senis, Mediocris Szolnok, Districtus Kovár, tam  
in Contributionibus, quam in Politicis, & Ju-  
gidicis ex integræ ; Zarandensis vero, jam in  
contributionibus subjectus, etiam quoad alia, au-  
ditis etiam Transylvanicis, Hungariæ jurisdic-  
tio restituatur. Idem est statutum quoad loca  
militaria in Bacensi, Bedrogiensi, Aradiensi,  
Csanádiensi, Zarandiensi, ac Districtu Tömösiensi,  
Sirmensi, & inferioris Sclavonia : inibique  
supræni Comites præficiendi. A. 18. & 50.  
Districtus item Kurzinen. se applicetur jurisdic-  
tio Hungariæ. A. 51.

*Religio* Romano-Catholica duntaxas  
in Regnis Dalmatia, Croatia, & Sclavonia ad-  
mittenda: nec alii possessionis sunt capaces ; Imò  
nec aliorum Dominorum Terrestrium Bona, in-  
star *Officialium* & *economicorum* administratio  
vale-

yaleant. A. 46. & parsim jam A. 86. 1723.

**Religiosi.** De Dividenda Jesuitagum Provincia, tollenda Franciscanorum in Maria- na, gubernandi alternatione; ac incorporando Provinciae Hungaricæ, Minoritarum Wimpassin- gesum Copyentu, desideratus, per Majestatem Regiam, effectus postulatur. A. 33. Ordo Do- minicanorum in Regnum recipitur, sed absque voto, ac sessione: erga obligationem 12. Missæ Sacrificia, annis singulis pro Regiæ Majestatis, ac Regni incolumente, celebrandi. A. 65.

**Segnia** In integrum jurium suorum, contra omnes jurisdictionis militaris impetus, restituitur, iisque instar aliarum Civitatum Hungaricæ, frui jubetur, unâ cum Capitulo Segniensi: A. 56. & jam olim A. 57. 1647. & A. 128. 1725.

**Successio Regia.** Confirmantu, A. 1. & 2. Anni 1723. de successione Regia Faminea, sub modificationibus, & extensioni- bus ibidem insertis. A. 1. & 2.

**Tabula Septemviralis!** Quatuor adhuc Assessoribus, uno quidem ex statu Prałatorum, altero Magnatum, duobus ex statu Nobilium, augetur. A. 24.

*Telonium.* In Ungaria, & Partibus

eidem annexis, tantum à jumentis, & Curribus, non autem ab ipsis mercibus defumatur. Cives etiam liberarum Civitatum, fide dignis passualibus instructi, & alii legitimè exempti, nullib[us] Telonium solvant. A. 28. vide de *Teloniis* suprà, & confer.

*Transylvaniam* Veluti ad S. Re-

gni Coronam pertinente[m], tam moderna Regia Majestas, quām alii Reges futuri, quā Reges Ungariæ gubernabunt. A. 18. vide *Reincorporatio*. His adde *constitutionem*, de salis Depositorio, in Comitatu Nitriensi, eriendo. Item ut in quovis centenario, 15. cruciferi relaxentur. Item ut Vectoribus salis, competens stipendum persolvatur, neque Incolæ ad ejus vecturas, per executionem compellantur. ut denique pretium salis ubique publicetur A. 34. Ut Familiae Erdödianæ, circa appertinentias Montis Clavii &c. satisfiat, statuitur A. 51. sensu deniq[ue] A. 7. Majestas Regia promittit, se in Ungaria residere velle; neque eorum quidquam omis- suram, quæ ad restituendam pristino flori Hungariam, factura videbuntur.

Finis utriusque Partis.

A. M. D. G.

# INDEX SYNTAGMATIS JURIS UNGARICI & Transilvanici Juxta seriem Partium, & Titulorum.

## PARS PRIMA.

### TITULUS I. Paginae

De Actibus Potentiariis, eorumq; Poena -	1.
2. De Adoptione -	10.
3. De Admonitione a " "	12.
4. De Aequalibus Spiritualium, & Secularium libertatibus -	21.
5. De Aëstimationibus Bonorum Mobilium, & immobilia -	24.
6. De Aëtibus Puerorum, & Puellarum -	31.
7. De Agnatione, & Cognitione -	33.
8. De Appellationibus -	34.
9. De Authoritate Regis, in conferendis Beneficiis Ecclesiasticis, aliisque Bonis, & Honoribus -	47.
10. De Birsagiis, & Multis -	49.
11. De Bonis Furum, & Homicidarum -	55.
12. De Bonis in Lire existentibus -	59.
13. De Bonis Jus fœminum non concer- tentibus,	

§

# INDEX

nentibus, vel concernentibus -	61.
14. De Bonis & viticis non ab alienandis -	64.
15. De Calumnia -	69.
16. De Capitali Sententia, & Bonis Sententiationi -	74.
17. De Casibus, in quibus Nobiles capti- vari possunt -	82.
18. De Casibus, in quibus Pater potest Filium ad Divisionem Bonorum compellere, & vicissim -	85.
19. De Casibus, in quibus Personæ Ecclesiasticae subjacent Sententiæ Capitali -	88.
20. De Civitatibus Liberis -	93.
21. De Clausula: Nil Juris -	103.
22. De Concambio -	104.
23. De Cognitione falsarum Litteraturū -	106.
24. De Condescensione Causarum -	108.
25. De Consensu Regio -	111.
26. De Conservatore Literalium Instrumentorum -	113.
27. De Concordia Litigantium -	117.
28. De Damnis illatis -	118.
29. De Debitis -	122.
30. De Decimis -	123.
31. De Defensa, & offensa -	127.
32. De Divisione Bonorum mobilium, & immobilia -	129.
33. De Donationibus Regiis -	135.
	34 De

# I N D E X

- 
34. De Dote, Dotalitio, & Paraphernis - 138.  
 35. De Emenda Capitis, & Linguæ - 144.  
 36. De Evictione, & Evocationibus - 147.  
 37. De Excessibus Ecclesiasticorum eorūmque Officialium - 157.  
 38. De Excusatione Rationabili - 160.  
 39. De Fassionibus universim - - - 161.  
 40. De Foro competente - - - 164.

## PARS SECUNDA

*Complectens peculiares unà Transylvaniæ Leges.*

### TITULUS I. Pagin.

- |  |       |     |
|--|-------|-----|
| De Gratia Principis, aliorumq;                 | - -   | 1.  |
| 2. De Hæredibus, & Posteritatibus              | -     | 4.  |
| 3. De Homagio, ac Marcis homagialib9           | -     | 6.  |
| 4. De Homicidio ejusque pœnis                  | - -   | 10. |
| 5. De Immunitate Ecclesiastica                 | - -   | 13. |
| 6. De Impetratoribus Bonorum                   | - -   | 18. |
| 7. De Impignorationibus                        | - -   | 20. |
| 8. De Infamia, quibus casibus incurra-         |       |     |
| tur  | - - - | 24. |
| 9. De Ingessione in Causam                     | - -   | 28. |
| 10. De Inhibitione                             | - -   | 32. |
| 11. De Inquisitione                            | - -   | 34. |
| 12. De Impensione Judicij ex parte Jobbagyonum | - - - | 38. |
| 13. De Jobbagyonibus, eorūmque Juri-           |       |     |
| § 2  |       |     |

# INDEX

bus - - -	44.
14. De Judicibus, & Judiciis - -	55.
15. De Juramentis - - -	60.
16. De Jure Fiscali, Regio, ac Possessorio - - -	66.
17. De Legibus, Statutis, ac Decretis &c. - - -	70.
<i>De Legibus, &amp; Statutis Transylvaniæ speciatim.</i>	
PARAGRAPHUS I,	
18. De Legibus Decretalibus - -	76.
PARAGRAPHUS II,      Pagina,	
De Novellis Transylvaniæ Statutis -	79.
Actus Potentiarii -	80.
Arrestatio. - - -	83.
Contributio. - - -	86.
Damna - - -	88.
Debita - - -	91.
Decimæ - - -	93.
Educilla - - -	95.
Fiscus - - -	96.
Jobbagyones - - -	98.
Judicium, seu Processus Juridici - -	102.
Literæ Variæ - - -	106.
Officiales, ac Judices - -	108.
Pignus, vel Impignoratio. - -	109.
Pœnæ Variæ      55	110.
	Procu-

# I N D E X

Procuratores, seu Causidici -	102.
Telonia, & Tricesimæ -	103.
<b>PARAGRAPHUS III.</b>	
<i>De Statutis Siculorum Tripartitilibus. -</i>	<i>107.</i>
<b>PARAGRAPHUS IV.</b>	
<i>De Novellis Siculorum Legibus -</i>	<i>108.</i>
<b>TITULUS.</b> <i>Paginæ.</i>	
19. <i>De Libertatibus Nobiliis -</i>	112.
20. <i>De Litteris, earumq; Varietate -</i>	118.
21. <i>De Matrimoniiis Licitis, &amp; Illicitis -</i>	124.
22. <i>De Metis, ac Metalibus -</i>	127.
Mutuum Vide de Debitis.	
Nobilis, vid. de Libert. Nobil.	
23. <i>De Nota infidelit. &amp; Crimin. Læsæ Majestatis -</i>	132.
24. <i>De Novo Judicio -</i>	138.
Oculata Revisio, vid. de Probat.	
25. <i>De Officiis, Officialib⁹ generatim -</i>	144.
26. <i>De Oneribus assumendis -</i>	148.
Oppositi⁹, vide de Repulsione.	
27. <i>De Palatino ejusque Officiis -</i>	150.
28. <i>De Patris, Filiique mutuo Officiis -</i>	152.
Perjurus. vid. de Poenis,	
Personæ Eccl. v. de Im. Eccles.	
Plenipotentiarius, v. de Procur.	
29. <i>De Poenis variorum Excessuum -</i>	155.
§ 3	
30. <i>De</i>	

# I N D E X

30.	De Præscriptionibus	- - -	161.
31.	De Privilegiis variis	- - -	170.
32.	De Probationibus, & Præsumptionibus	- - -	179.
33.	De Procuratorib <sup>9</sup> , seu Advocatis	-	182.
34.	De Prorogatione, aliisque Pupillorum Privilegiis	- - -	188.
	Pupilli. vid. de Prorogat.		
35.	De Quartalitio, seu Quarta Puellari	-	192.
	Reg. vel Pala. Homo. v. de Test.		
36.	De Religiosis Ordinibus	-	194.
	Remed. Jur. v. de Inhib. &c.		
	Repetitio Colonum. v. de Jobb.		
37.	De Repulsione, & Oppositione	-	196.
	Revocat. Procur. v. de Procur.		
	Rex. vid. de Authorit. Reg. &c.		
	Rusticus. v. de Jobbagyon. &c.		
38.	De Sede Dominali	- - -	202.
39.	De Statutionibus	- - -	206.
	Sentent. v. de cap. Sen. de Viol.		
	Servitor. v. de Job. de Eccles.		
	Sigilla. v. de Cog. fal. lit. de Fassio.		
40.	De Successionibus	- - -	211.
41.	De Taxis variarum Literatum	-	215.
42.	De Teloniis ac Tricesimis	-	221.
43.	De Testamentis	- - -	226.
44.	De Testimoniis Capitul. & Hominis Regii &c.	- - -	232.
	45 De		

# Í N D E X

45. De Testibus, Forumq; Requisitis - 235.  
 Transmis. Lit. v. de Appellat.  
 Transumpt. Lit. v. de Litteral.
46. De Tutelis, & Curateliſ - 242.  
 Vendit. v. de Admo. Bon. Avi.  
 V-Com. v. de Offici. Foro. Comp.  
 Vini Educ. v. de Job. Lib. Nobis.
47. De Violentiis variis - - - 247.

## INDICULUS

### ARTICULORUM Diætaliūm

Anni 1741 -	Pagina. 252.
Accusator - - -	253.
Appellatio - - -	253.
Archivum - - -	253.
Banus - - -	254.
Beneficia - - -	254.
Camera - - -	254.
Cancellaria - - -	255.
Civitas - - -	255.
Commendans - - -	255.
Commissarius - - -	255.
Commissio - - -	255.
Concursus , - - -	256.
Convictus - - -	256.
Corregens - - -	256.
Croatia, Dalmatia, Sclavonia - - -	257.
Diploma Regium - - -	257.
Donatio, Literæque Dönationales - - -	258.
§4	Extra-

# INDEX

<b>Extranei</b>	-	-	258.
<b>Fiscalia, &amp; Fiscus Regius</b>	-	-	259.
<b>Hungarus</b>	-	-	259.
<b>Indigenatūs Taxa</b>	-	-	260.
<b>Insurrectio</b>	-	-	260.
<b>Magister Tavernicorum</b>	-	-	261.
<b>Miles</b>	-	-	261.
<b>Moneta</b>	-	-	261.
<b>Nobilis</b>	-	-	262.
<b>Officia</b>	-	-	262.
<b>Palatinus</b>	-	-	262.
<b>Posta</b>	-	-	263.
<b>Primas</b>	-	-	263.
<b>Quæstus</b>	-	-	263.
<b>Reincorporatio</b>	-	-	264.
<b>Religio</b>	-	-	264.
<b>Religiosi</b>	-	-	265.
<b>Segnia</b>	-	-	265.
<b>Successio Regia</b>	-	-	265.
<b>Tabula Septemviralis</b>	-	-	265.
<b>Telonium</b>	-	-	266.
<b>Transylvania</b>	-	-	269.

**O. A .M. D. G.**



BIBLIOTECA  
ASTRA  
SIBIU







